



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

XI. De potestate excom[m]unicandi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem, ut maximè ad eam Ecclesiam, in quâ degit absolvendus, sit legitimè vocatus. Hâc opinione semel firmatâ, in auxilium vocarunt alteram, quæ ejusdem est farinae, omnem scilicet jurisdictionem, quæ est in Ecclesiâ, tam ordinariam quàm delegatam, manare à Pontifice Romano. Ex his principiis Pontifices primùm à potestate jurisdictionis, quam concesserunt Episcopis, casus aliquos exceperunt, sibique reseruos voluerunt, & ad eundem modum etiam Episcopis, ut sibi reseruent nonnullos, permisérunt, quos involare sacerdotibus inferioribus, etiam potestate jurisdictionis pollentibus, haudquaquam fas esset. Nec defuit occasio, quâ hanc suam *προποχὴν* sine strepitu obtinere facilè poterunt. Cum enim in veteri Ecclesia de enormibus flagitiis, quibus censura excommunicationis deberi videbatur, ratio ad Episcopos fieret, ut ex ipsorum consilio eò tutior proferretur sententia, & hoc ordinis atque disciplinæ gratiâ ita invaluisset, Pontifices & Episcopi casus inde reseruos fabricarunt, & ex consuetudine regulas fecerunt, ut non liceret deinceps inferiori alicui in ejusmodi reseruos moliri quicquam, ita ut si quid tale factum fuisset, id totum prorsus invalidum esset & nullum. At verò hoc est claves adimere illis, quibus Christus dedit, & hæc reservatio præsupponit, claves non esse nisi in manibus Papæ & Episcoporum, & ab horum voluntate pendere, quas claves dare velint inferioribus, atque adeò presbyteris concedi clavium usum limitatum, non ad omnia, sed quædam tantum peccata. Quod omninò est contra jus divinum & concessionem Christi Salvatoris.

## CAP. XI.

## De Potestate excommunicandi.

## I.

**C**Lavis ligans in Ecclesiâ multâ cum prudentiâ est adhibenda, ne ex pravo & contaminato affectu usurpetur, & erga innocentes exerceatur. Quanquam enim Ecclesiæ ministri clave ligante non minùs, quàm solvente, utendi potestatem habeant, quia tamen circa usum ligantis certi observandi sunt gradus, diversique inde resultantes effectus, qui in solvente ad eundem modum præscripti non sunt, dubium non est, majore cum curâ atque circumspectione agendum esse, sicubi morosus aliquis peccator ad frugem reduci debeat. Singuli pastores suspendere à Sacramento

cœnæ



cœnæ possunt, cum mandatum habeant monendi unumquemque suorum auditorum peccantem, & videndi, ne dent sanctum canibus, *Matth. VII, 6.* Sed excommunicandi potestatem singuli pastores non habent, verum Ecclesia repræsentativa h. e. Consistorium aut presbyterium, quod repræsentat totam Ecclesiam, ita ut ipsa reliqua Ecclesia sit conscia, & tacite subscribat latæ sententiæ.

II. Ipsum vocabulum excommunicationis dicit quandam habitudinem, respectum & relationem ad communionem aut communitatem quandam, à quâ separatur ille, qui extra communitatem illam statuitur, ita ut ipsa communitas judicet & sentiat, solvi & rescindi aliquod membrum à se, quod antea totius integralis pars erat. Ideoque dicit Apostolus fieri talem excommunicationem non debere, nisi consciâ & approbante aut ratum habente totâ Ecclesiâ *1. Cor. V, 4.* *Congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Jesu Christi tradere constitui hujusmodi hominem Satane in interitum carnis.* Et *2. Cor. II, 6.* *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus.* Cumque ipse Christus dicat, eum qui Ecclesiam audire recusat esse debere velut Ethnicum & publicanum *Matth. XVIII, 17.* facile hinc patet, per periphrases istas significari notitiam in corpore & communitate illâ, à quâ quis separatur. Quod si enim à familiari & ordinariâ conversatione cum excommunicato tota Ecclesia abstinere debet, utique necessarium est, ut in congregatione totius cœtus & cum tacitâ ejusdem approbatione aut rati habitatione excommunicatio suscipiatur. Et hoc est, quod ait Salvator: *Dic Ecclesiæ h. e. multis, uti exponit Hieronymus, ut illum detestationi habeant, & qui non potuit pudore salvari, salvetur is opprobrio.*

III. Quamquam autem plures excommunicationis gradus statui possint, diversis communiorum gradibus respondententes, duo tamen præcipui in scholis hæctenus in considerationem venerunt, secundum quos excommunicatio alia major, alia minor dicta fuit. Illa ab ipsâ Ecclesiâ & communiõne atque cœtu fidelium peccatorem refractarium abscindit; hæc tantum à participatione Sacramentorum arcet atque repellit. Cujacius in *comm. ad c. 10. de judic.* ab utrâque hæc excommunicationis specie distinguit anathematismum, ita ut excommunicatio minor separet à Sacramentorum perceptione tantum; major verò insuper à fraternâ societate & consuetudine; & anathematismus rescindat & avellat ab ipso corpore Christi. Ita namque distinguuntur apud Ivonem *decret. part. 14. c. 51.* & Gratianum *c. fin. 3. q. 4.* Engeltruden *Uxorem Bosonis noveris non solum excommunicatione, quæ à fraternâ societate separat, sed & anathemate, quod ab ipso corpore Christi, quod est Ecclesiâ, rescindit, crebro percussam.* In eandem sententiam scripsit Arsenius Episcopus Hortensis, Legatus Apostolicus apud

Eeee

Baron.



Baron. ad ann. DCCCLXV. n. 74. ut nullus vestrum eam (Engeltruden) in sua parochia recipiat, sed eam funditus in omnibus Ecclesiis vestris predicare excommunicatam, & ab omni communione Christianorum sequestratam & extraneam, insuper & anathematis vinculo innodatam, & inter impias & scelerosas manus damnatam &c. ut adeo nequeam consentire Didaco Covarruvia, qui in relect. c. alma mater part. 1. §. 8. de excomm. in 6. n. 6. ex d. c. Engeltrudem constare putat, anathema ab excommunicatione majore nihil omnino differre. Erat autem Engeltrudis illa nobilissima femina. filia Matfridi Comitis; sed moribus admodum impudica, quæ Bolone Comite marito suo deserto corpus prostituerat, uti de eâ scribunt Regino Prumiensis *annal. lib. 2.* Hincmarus Remensis *de divort. Lotharii & Thetb. interr. 22.* & *quest. 5. it. ad interrogationem Guntharii Archiep. Colon. tom. 2. ap. n. 38.*

IV. Hanc eandem anathematis & excommunicationis majoris distinctionem innuere videtur Urbanus Papa apud Gratianum c. notandum 24. q. 3. dum ait in fin. Unde apparet liquidò aliud esse excommunicationem, aliud, eradicationem. Qui enim excommunicatur, ut Apostolus ait, ad hoc excommunicatur, ut spiritus ejus salvus fiat in die Domini. Disciplina enim est excommunicatio & non eradicatio, nisi fortè ex contemptu & superbiâ excommunicati proveniat. Hoc enim testimonio utitur Georgius Blacuellus Archiepresbyter à Clemente VIII. designatus & in Angliam missus, cum in carcere responderet, & excommunicationem à Pontifice in Principum capita factam nullos istiusmodi effectus edere aut inferre ostenderet, quibus seditionum & tumultuum ansa subditis dari posset. Alii verò, quos refert Covarruvias d. l. n. 8. eandem dicunt esse vim idemque vinculum anathematis & excommunicationis majoris & differre tantum quoad solemnitatem & terrorem, eò quod anathematis adjunctas habeat diras imprecationes & maledictiones atque execrationes publicas. Ista verò solemnitates specialem olim excommunicationis formam, & singularem adeo speciem constituisse, non videtur probari posse, si quidem testimonia ex primitivâ Ecclesiâ peti debeant. Videatur dictum Hieronymi apud Gratianum c. audi. 11. q. 3.

V. Et si autem non negemus, circa excommunicationem, ut vocant, minorem pastoribus Ecclesiæ singulis liberiore competere potestatem, atque hinc inferant nonnulli, clavem istam ligantem, quæ in prohibitione ab usu Eucharistiæ occupatur, à quolibet pastore, sine præcitu aut præviâ consultatione Consistorii aut presbyterii adhiberi & usurpari posse; quia tamen observatum fuit, sæpissimè eam ad offensusculas privatas vindicandas, ob damnum exile etiam jumentis & canibus illatum, & ob furtum rei parvæ usurpari solitam fuisse, rectè idcirco in quibusdam Germaniæ provinciis, & in his terris Saxonis maxime, quibusvis Ecclesiæ ministris

inter-



interdictum fuit, ne quis sine jussu & consensu Consistorii Ecclesiastici quemcunque à communione Sacramentorum arceat, neve Consistorium ipsum sine præviâ causæ cognitione tale quid decernat. Et verò cujusvis judicio considerandum relinquo, utrum justa & sufficiens excommunicationis causa sit, si quando secularis Clerico non assurgat, aut perfunctoriè nimis salutet, uti seculo VI. decrevit Concilium Matisconense II. c. 15. Si quidem ille secularis equo vehitur, clericusq; similiter, secularis galerum de capite auferat, & Clerico sincerae salutationis munus adhibeat. Si vero Clericus pedes graditur & secularis vehitur equo sublimis, illicò ad terram desuat, & debitum honorem prædicto Clerico sincerae charitatis exhibeat: ut DEUS, qui vera charitas est, in utrisq; letetur, & dilectioni suæ utrumq; adsciscat. Qui verò hæc, que Spiritu S. dictante sancita sunt, transgredi voluerit, ab Ecclesiâ, quam in suis ministris dehonorat, quamdiu Episcopus illius Ecclesiæ voluerit, suspendatur.

VI. Sed de excommunicatione minore nolumus nunc esse multum solliciti. Properamus ad majorem, quam dixi fieri per abscissionem à communione & cœtu fidelium. Talem similem in usû habuerunt olim non Judæi tantum, sed gentiles etiam. De Druidibus enim eorumque disciplinâ refert Julius Cæsar lib. 6. de bell. Gall. quod refractariis & morem sibi non gerentibus aliorum commercio tam sacro quam profano severè interdixerint. Si quis, inquit, aut privatus, aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicitur. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, si numero impiorum ac sceleratorum habentur: ab iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemq; defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus præest unus, qui summam inter eos habet autoritatem.

VII. Apud Judæos tres olim in usû fuisse memorantur excommunicationis species. Prima dicta fuit נִרְדָּי i. e. remotio aut seclusio. Ea erat excommunicatio ab aliorum societate etiam Uxoris & domesticorum ad quatuor cubitos, durabatque per triginta dies, si resipisceret; sin minus, duplicabatur ad sexaginta vel etiam triplicabatur ad nonaginta dies. Quod si nec tùm ad frugem rediret & resipisceret, secundâ specie excommunicationis coerceretur, נִרְדָּי dicta, quæ erat exclusio à cœtu sacro seu synagogâ cum maledictionibus ac diris ex Deut. XXVIII. Et hæc non nisi in cœtu & congregatione, ut eò ignominiosior esset, fiebat à Decemviris. Tertia excommunicationis species appellabatur אַנְתֵּמָה h. e. anathema seu execratio. Et hæc, quæ erat omnium gravissima, homo post tentatos priores gradus omnes, totaliter & finaliter soli divino judicio committebatur, ut eo periret, nec ad Ecclesiam reditus amplius pateret. De ricibus in his speciebus usurpari solitis, deque toto processu videri potest accuratissimus rerum Judaicarum enucleator Johannes Seldenus de Synedr. lib. 1. cap. 7. &



seq. & de jur. nat. gent. & civ. lib. 4. cap. 6. 7. 8. ubi horrendam simul execrationis formulam iudæis recentioribus usitatam recenset.

VIII. Cæterum quando in antiquis Ecclesiæ canonibus *communione privari*, aut à *communione removeri*, aut à *communione alienus haberi* quis dicitur, non accipiendum id illico est, de excommunicatione tali, quâ quis aut ab usu Eucharistiæ, aut à cœtu fidelium excluditur, cum utique communio plures alias societatis alicujus species sub se comprehendat, & pro ratione rei, de quâ agitur, diversos significatus obtineat. De Clericis, qui sine Episcopi licentiâ & epistolâ ejus formatâ aut canonicâ, per regiones, oppida & Urbes vagantur, statutum fuit in Concilio Milevitano *can. 20.* Placuit, ut quicumq; Clericus propter necessitatem suam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab Episcopo suo accipiat; quod si sine formatâ voluerit pergere, à communione removeatur. Item in Venetico c. 5. Clericis sine commendatitiis Episcopi sui epistolis licentia non pateat evagandi, & in omni loco, ad quem sine epistolis Episcopi sui, ut dictum est, venerint, à communione habeantur alieni. Et in Hispalensi II. *can. 3.* Qui eum susceperit, nec statim sine ullo nisi exceptionis ad propriam Ecclesiam remittendum elegerit, quamdiu eum restituat, communione se privatam agnoscat. Quis verò putabit, in his canonibus excommunicationem sive minorem sive majorem decerni, & sic vel Eucharistiæ usu vel cœtu fidelium abstinere debere Clericum literas sui Episcopi non ferentem? Imò verò communionem longè aliam subintelligi hic debere, ipsius delicti levitas arguit.

IX. Communio nempe in Ecclesiâ, de tali enim nunc nobis sermo est, vel generalis est & universalis, vel specialis & particularis. Illa est omnium fidelium inter se & cum capite hujus corporis mystico, quod est Christus. Talis enim communio nihil aliud est, quam ipsamet Ecclesia, quatenus unum corpus constituit. Specialis autem aut particularis communio diversimode se habet, prout sunt in corpore isto mystico distincti aliquot membrorum & certi ordines, quomodo in corpore naturali digiti suam in manu habent communionem. Et quia summa personarum ad Ecclesiam Christi pertinentium divisio hæc est, quod vel Laici in eâ sint, vel Clerici, summa etiam communionis divisio inde nascitur, quod Laica alia sit, alia Clericalis sive Ecclesiastica in specie ita dicta. Laica ferè una est & simplex, quæ proinde facit, ut Ecclesia dicatur communio sanctorum. Licet enim dona in sanctis sint differentia; tamen quod ad remissionem peccatorum & vitam æternam attinet, communio est omnium fidelium, qui communiter similiter & ex æquo omnes gratiâ DEI propter meritum Christi fide accipiunt remissionem peccatorum & vitam æternam. Per cognitionem enim Christi donata sunt nobis maxima & pretiosa promissa, ut per ea fideles efficiantur divina consortes nature 2. Petr. I. 3. 4. Et hæc communio non ad

Lai



Laicos tantum, sed ad Clericos etiam spectat, Laica tamen dicitur, ut distingui possit à Clericali, quippe quæ restrictior magis est, neque tam latè patet, ut perinde Laicis competat, quomodo Laica competit Clericis. Quanquam, uti in sequentibus audiemus, non tam ratione effectus, quam ratione formæ, specialem conditionem personæ denotet communio Laica, scubi ea Clerico in pœnam injuncta fuerit. Idque ex lege Ecclesiæ positivâ. Communio igitur quoad sacra est societas fidelium, cujus qui inter Laicos particeps, unâ cum eis consistebat, precabatur, Eucharisticam accipiebat. Et hoc integram cum Laicis communionem absoluebat; neque enim alia munia illi obibant. At præter hæc, si Clericos spectemus, qui ecclesiæ ministerio se addixerant, & in ejus *καταλόγῳ ἱερατικῷ* descripti erant, suo loco & ordine liturgiam & alia officia peragebant, quorum ratione specialem ipsi inter se communionem habebant.

X. Clericalis istius communionis tot sunt genera & species, quot sunt ministrorum Ecclesiæ ordines & gradus. Ecce enim aliam inter se communionem habent Episcopi, aliam presbyteri, aliam diaconi, & sic porro. Et qui diaconus est, non debet sibi vindicare ea, quæ sunt Episcopi. Per consequens, si qui gradu motus fuisset, excidebat simul functione illâ, quæ gradui illi adhærebat, quæque communionem cum reliquis ejusdem gradus Clericis induxerat. Et in ipsis etiam illis gradibus pro ratione & qualitate rei gestæ vel omninò excidebat quis communionem, vel ex parte tantum. Accidebat enim aliquando, ut Episcopus ipso toto gradu sui ordinis non privaretur, sed certis tantum ejus gradus officiis interdiceretur, dignitate, nomine & honore salvo; qui ipse, etsi *πῦν* Episcopi, & inter Episcopos reliquos etiam locum quandoque atque sessionem retinisset, propter imminutam tamen & amissam officii sui partem, non poterat dici, quod æquam cum reliquis Episcopis habuerit communionem. Idque in primis patet ex Concilii Nicænicæ *canone 8.* ubi Episcopus Novatianus, qui ad Ecclesiam orthodoxam redit, primus inter presbyteros sedere & vicariam operam præstare jubetur, servato tamen tum nomine tum honore Episcopi, si ita Episcopo loci placuerit. Et de Melitio Episcopo, qui Arii partes secutus fuerat, statuit Synodus Nicæna, ut is incivitate suâ maneat, nec ullam habeat aut manus imponendi aut eligendi potestatem, nec hujus rei causâ aut in vico aut in urbe ullâ compareat, sed nudum honoris sui nomen retineat; apud Socratem *lib. 1. cap. 9.*

XI. Tales certè, qui vel prorsus depositi erant ab officio, vel suspensi tantum, non poterant dici, quod essent in communionem Episcoporum. Quemadmodum è contrario, qui integrum suum sine imminutione gerebant munus, rectè *κῆρυκτες* dicebantur, h. e. ejusdem communionis, & quod sibi invicem communicarent, uti hoc vocabulum in hoc significato usurpatur



tur in epistolâ Synodicâ Concilii Constantinopolitani apud Theodori. *lib. 5. hist. cap. 9.* Quo modo etiam Ibas Episcopus Edessenus in Concilio Berytensi dixit, sibi invicem communicatores fuisse, se & Cyrillum Alexandrinum, uti legitur in actis Concilii Calchedonensis, *act. 10.* E contrario *ἀκκοινωνήτους* vocat Concilium Nicænum *can. 16.* Clericos illos, quibus sacra peragere prohibitum, sive, ut Theodorus Balsamon explicat, quibus non est permittum *συνεργεῖν*, ut simul sacrificent. *In eâ enim, inquit, significatione non communicare accipitur, non autem in eâ, quæ est, in Ecclesiam non accedere, vel Sacramenta non participare.* Et Johannes Zonaras ibidem: *Communions privationem h. l. eam intelligendam esse arbitror, quâ initiati videlicet iis sacra facientibus nullo modo communicare, sed eos in sacro ministerio penitus averfari jubentur: communionisq. nomine non sacrorum mysteriorum perceptionem, sed in sacris muneribus ac ministeriis unâcum iis, ad quos accedunt, obeundis societatem hîc à patribus reor esse significatam &c.* Cæterum à communione, quæ inter ministros Ecclesiæ est, etiam literæ dicebantur communicatoriæ, nec recipiebantur literæ eorum, qui erant communione privati, uti id patet ex epistolâ Synodali I. ex Concilio Sardicensi ad Julium Episcopum Romanum scriptâ: *Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, qui in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt & quæ definita cognoscunt, & ne ignorantes eorum accipiant literas communicatorias, id est, epistolia, quos iusta sententia redarguit. Perseverent autem Marcellus, Arbuanusius & Asclepius nostrâ communione, quia obesse eis non poterat iniquum iudicium. -- Omnes fratres & Coepiscopos nostros literis tuis admonere digneris, ne epistolia, id est, literas communicatorias eorum accipiant.*

XII. Uti dixi, non omni illicò excidebat communione, nec in maiorem illicò aut minorem excommunicationem incidebat, qui communione ordinis & gradûs privabatur. Perspicuè id docet Canon Carthaginensis octogelimus in *Cod. canon. Eccles. Afric.* Item placuit, *ut si quis de alterius monasterio repertum vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in suo monasterio maiorem monasterii constituerit Episcopus, qui hoc fecerit, à cæterorum communione sejunctus, suæ tantùm plebis communione contentus sit, & ille neq. clericus neq. præpositus perseveret.* Qui hic à cæterorum Episcoporum communione sejungitur Episcopus, communione eorum, qui in diocesi suâ sunt, non excluditur. Eademque pœna decernitur etiam iis, qui sine iustâ causâ ad synodum se non conferunt, *can. 76.* Ut adeò firmiter colligere liceat, quod, quotiescunque in antiquis Conciliis Clerici à communione sejungi debere dicuntur, toties id de Clericali communione intelligendum sit; sive jam omnimoda & perpetua depositio decreta dicatur, quæ & functionem omnem & ipsum etiam nomen atque titulum aufert, sive temporalis tantùm, aut certæ functionis prohibitio. Illa enim Clericum in statum & numerum Laicorum redi-



redigit, sine ulterioris excommunicationis notâ; hæc verò statum & conditionem Clericalem conservat, & facit, ut restitui aliquando in pristinam functionem, qui ita exclusus fuit, & recuperare amissas officii partes queat. Nec verò Clericus unquam vel majore vel minore excommunicatione punitus fuit, sed ut hæc locum haberet, in statum Laicorum prius eum redigere oportuit.

XIII. Græci eleganter distinguunt τὸ κατὰ κληρικοὺς ἀπὸ τῆ ἀφορρίζεσθαι, illud scilicet de Clericis delinquentibus, hoc verò de Laicis usurpando. Frequens horum vocabulorum usus occurrit in Canonibus, qui dicuntur Apostolici. In canone 25. dicitur: *Episcopus vel presbyter vel diaconus fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus deponatur, & non segregetur, κατὰ κληρικοὺς, ἢ μὴ ἀφορρίζεσθαι.* Can. 31. *Si quis presbyter, contempto proprio Episcopo seorsim collectas egerit, & alterum altare fixerit, deponatur κατὰ κληρικοὺς, Laici autem segregentur ἀφορρίζεσθαι.* Can. 42. & 43. *Episcopus, presbyter & diaconus aleis & ebrietati studens deponatur κατὰ κληρικοὺς; Subdiaconus verò, Lector & Cantor similia faciens ἀφορρίζεσθαι segregetur.* Quod si crimen à Clerico commissum tam atrox fuisset, ut pœna κατὰ κληρικοὺς non videretur sufficiens, tùm præter κατὰ κληρικοὺς etiam ἀφορρίζεσθαι decretus fuit, uti ostendit canon 28. *Si quis Episcopus vel presbyter vel diaconus justè ob manifesta crimina depositus, sibi aliquando creditum ministerium attingere audeat, ab Ecclesiâ omninò abscindatur, παντάπασιν ἐκκοπήσθαι τῆς ἐκκλησίας.* It. can. 29. *Si quis Episcopus per pecunias banc sit dignitatem assecutus, vel presbyter, vel diaconus, deponatur & ipse, & qui eum ordinavit, & à communionem etiam omninò excindatur, ἐκκοπήσθαι ἢ τῆς κοινωνίας παντάπασιν.* Et can. 30. *Si quis Episcopus secularibus Principibus usus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur, & segregatur, κατὰ κληρικοὺς, ἢ ἀφορρίζεσθαι.* Qui canones ostendunt, propter crimina nonnulla Laicos excommunicatione, Clericos verò depositione solùm punitos fuisse, ne videlicet duplici pœnâ afficiantur, uti ait d. canon 25.

XIV. Qui ita à ministerio & communionem Clericali removebantur, laicæ tantùm communionis participes erant, neque in ordinem Ecclesiasticum recipiebantur amplius. Quanquam enim Bellarminus & qui eum sequuntur, communionem Laicam in antiquis canonibus memoratam, interpretentur de communionem sub unâ specie; ex collatione tamen locorum, quibus communionem Laicæ mentio occurrit, rectè ostensum fuit ab eruditissimis, amandari ad communionem Laicam, nihil aliud esse, quam Clericum propter crimen admissum ordine suo motum ad statum Laicum redigi. De solis enim Clericis & quidem delicto contaminatis, & de nullis aliis phrasibus hæc usurpata legitur. Et talis Clericus non quidem omni penitus privatur

com.



communione sacerdotum; sed hæc tamen ei neque conceditur, neque restituitur aliter, quam Laico; nec ipse propter hanc concessam vel restitutam alio loco vel ordine habetur, quam Laico. Soli nempe Clerici propter commissa flagitia gradu moveri & ad statum Laicum redigebantur, redacti in perpetuum in eo perseverare cogebantur, neque spem habebant restitutionis in pristinum statum. Si gravius quid commisissent, ipsa quoque Laica communione privabantur, & veræ excommunicationi subiciebantur. Et tunc beneficium erat, gratiæque imputabatur, si sub vitæ finem ad Laicam communionem admitterentur. Pertinebat igitur communio Laica ad disciplinam Ecclesiasticam, neque Laicis unquam, sed solis Clericis infligebatur. Uti hæc omnia solidè exponit Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis *lib. 1. observ. 4.* & qui eum sequitur Johannes Morinus *lib. 2. exercitat. 9.*

XV. Alia similiter solis Clericis irrogabatur poena, quæ dicebatur communio peregrina, cujus qualitatem variè explicant Doctores. Videtur autem ex collatione canonum antiquorum id maximè concludi posse, communionem peregrinam non perinde, ut Laicam, Clericos in ordinem Laicorum coëgisse, & fecisse quidem, ut catalogo Clericorum expungerentur, Clerici tamen esse non desinerent, cum rescribi in matriculam & dignitatem recipere potuerint. Id quod minimè licuit illis, qui in communionem Laicam redacti fuerant. Qui igitur communionem peregrinam damnati erant, corporis Clericorum partem non amplius constituebant, neque Clerici deinceps eis, ut Clericis, communicabant, tenebantur tamen in eos humanitatis officia exercere, & pro talibus habere, qui in pristinam dignitatem restitui facillè possent. Ratio denominationis videtur nata ex eo, quod Clerici peregrini olim, qui sine Episcopi sui literis formati advenissent, ad Ecclesiæ communionem non admitterentur, sed seorsim sumptibus Ecclesiæ in loco separato alerentur, idè scilicet, quia de eorum statu & conditione non constabat. Id verò, quod ita ab initio tunc securitati Ecclesiæ, tunc honori Clericorum peregrinorum, quos penitus rejicere incivile erat, inservire debuit, traductum deinceps fuit in certum animadversionis ac disciplinæ genus, quo Clerici etiam non peregrini, ut in officio continerentur, puniti ad certum temporis spacium fuerunt. Vid. Gabr. Albaspinæus *d. l. obs. 3.*

XVI. Hinc verò intelligere licet, quid sibi velint canones supra adducti, quando Clericum sine formatâ Epistolâ vagantem removeri à communionem jubent, nempe non accipi eos debere de excommunicatione in significato vulgari, quo exclusio à communionem Eucharisticâ aut ceterum fidelium denotatur, sed de tali privatione, quâ Clerici Ecclesiastici suis fungi officiis prohibentur. Patet id ex *canone 13. Concilii Chalcedonensis*, qui sic habet:



habet: Peregrinos Clericos & Signotas in aliâ civitate sine proprii Episcopi commendatitiis literis nusquam ullo modo ministrare, μηδὲ ὅλως μηδαμᾶ λειτουργεῖν. Itemque ex Concilii Antiocheni can. 3. Si quis presbyter vel diaconus vel quis omnino ex Sacerdotali ordine suam parœciam deserens, in aliam abierit, deinde omnino commigrans, in aliâ parœciâ multo tempore immorari conatur, ne amplius ministret, μήποτε λειτουργεῖν. Communionem ergo qui ita privabatur Clericus, prohibebatur ille functione sui ministerii, non movebatur ordine, neque excludebatur usu eucharistiæ; sed pœna illa, suspensio magis erat ab officio, uti hodiè loqui solemus, quàm perfecta depositio.

XVII. Quibus ita sufficienter explicatis redeundum nobis est ad id, de quo dicere cœpimus. Nempe propositum nobis fuit de excommunicandi potestate, quousque & quatenus Episcopo competat, quidque circa eam observandum sit, nonnulla, postquam de potestate clavium egimus, subnectere. Anticipavimus autem dicere, excommunicationem in sensu famosiore non aliam denotare, nisi eam, quæ major aliàs à Doctõribus communiter dici solet. Et de hâc inprimis nobis nunc sermo erit, quandoquidem eam quasi propriam Episcopo faciunt Canonistæ, cum minorem etiam ab inferiori, qualis est plebanus, irrogari posse contendunt, per c. 3. §. de offic. jud. ordin. Et propterea excommunicatio illa major mucro Episcopi dicitur c. visis 16. q. 2. & bannus Episcopalis, in Synodo Triburiensi can. 8. ad imitationem banni secularis, quod condemnatum ab omni hominum confortio excludit, ita ut à nemine in clientelam fidem aut amicitiam recipi, ab omnibus verò impunè tam in persona quàm rebus offendi possit, de quo vocabulo videri potest Andreas Gail. de pac. publ. lib. 2. cap. 1.

XVIII. Non fuisse tamen potestatem hanc Episcopis propriam aut ab illis solis exercitam non tantum exinde constat, quod Salvator ipse principalis autor hujus potestatis eam omnibus Apostolis eorumque successoribus ex æquo dederit, uti ejus verba post alios explicat Beda in Matth. XVI. Hæc, inquit, potestas sine dubio cunctis datur Apostolis, quibus ab eo post resurrectionem dicitur generaliter, accipite Spiritum S. &c. nec non Episcopis & presbyteris; sed etiam ex praxi priorum temporum, quàm non minus presbyteris, quàm Episcopis, talis potestas concessa probari potest. Sanè Hieronymus & Chrysostomus suâ ætate non crediderunt, solis Episcopis potestatem excommunicandi competere. Ille enim in epist. ad Heliodorum his verbis utitur: Mibi ante presbyterum sedere non licet: illi, si peccavero, licet tradere me Satane in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini Jesu. Et in veteri quidem lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio cervice subiecta, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens spiritali mucrone truncatur: aut ejectus de Ecclesiâ, rabido demonum ore discerpitur. Quæ verba anno DCCCXVI. repetiit & sua



fecit Concilium Aquisgranense c. 97. Hic autem, scil. Chrysoitomus *homil. 17. in Matth.* adhuc presbyter Antiochenis suis tales ex ambone ingessit minas: *Ego de cetero vobis, ne sacra hæc vestibula ingrediamini, vetabo.*

XIX. De Theodofio juniore refert Theodoritus *Eccles. hist. lib. 5. cap. 37.* cum ab inferiore Clerico, quem professione monachum dicit, excommunicatum noluisse cibum capere prius, quam vinculis ab ipso illo, qui ligasset, solutus esset, nec contentum fuisse absolutione Episcopi. Inde verò, quod ad rem præsentem facit, infert Henricus Valefius, se non dubitare, quin, qui excommunicasset, presbyter fuerit. Sed & Ivo Carnotensis *epist. 156.* refert exemplum presbyteri, qui incendiarium excommunicaverat, & disputat, quousque ab excommunicato illo abstinere oporteat. Quæ disputatio prorsus esset inutilis & supervacanea, si propter defectum potestatis presbyteri excommunicatio omnino esset invalida. Et ut omnis dubitatio hæc de re tollatur, extat inter capitula Herardi Archiepiscopi Turonensis, quæ reperiuntur *tom. 3. Concil. Gall. à Jacobo Sirmondo editorum pag. 111. capitulum sive decretum sub n. 121. de his quos presbyter excommunicaverit, ut alius eos non recipiat.* Edita & promulgata sunt ista capitula anno Christi DCCCLVIII. Ex quibus constat, seculo adhuc nono æquam fuisse presbyteris atque Episcopis potestatem, & excommunicationem à presbytero factam ab Ecclesiâ reliquâ non minus reverenter habitam fuisse, quàm si ab Episcopo facta fuisset.

XX. De potestate hæc presbyteris competente nulla tum fuit dubitatio. Modus autem procedendi improbari, nisi fallor, potuisset, si quidem ad Christi præscriptum examinari debuisset. Quia enim Ecclesiæ dici debet, si quis refractarius & incorrigibilis fuerit *Matth. XVIII, 17.* non utique erit in unius alicujus Clerici potestate, ut quis communionem Ecclesiasticam privetur, sed totius Ecclesiæ, necesse est, ut accedat consensus aut ratihabitio, & antequam is condemnnetur, ut de crimine intentato à pluribus instituaturn cognitio. Nec poterit ergò vel presbyter, vel ipse etiam Episcopus, solus potestatem presbyterio reliquo & toti Ecclesiæ competentem exercere, & si hoc fecerit, alienam invadit provinciam, suosque excedit limites. Temperare mihi nequeo, quin hic adscribam verba Marfilii Patavini, qui circa annum MCCCXXIV. *in defensore pacis part. 2. cap. 6.* excommunicationis processum, à quo ille peragi debeat, hunc in modum describit: *Et propterea dicendum, quod, licet ad tale iudicium promulgandum requiratur vox & actio sacerdotis, non tamen ad aliquem solum, aut tantummodo ad ipsorum Collegium pertinet iudicium coactivum & præceptum dare de excommunicandis aut absolvendis. Sed talem statuere iudicem, cujus videlicet sit revocare ac examinare, iudicare, absolvere aut condemnare, sic publicè diffamandum, aut à fidelium consortio praevidendum, pertinet ad fidelium universitatem in*



communitate illa, in qua debet aliquis tali iudicio judicari, vel ad superiorem ipsius, vel ad concilium generale. Veruntamen debet examinatio criminis, si tale fuerit, propter quod debeat quis excommunicari nec ne, fieri per talem iudicem habito collegio Sacerdotum, aut ex eis peritorum determinato numero secundum leges positas aut consuetudines. Sacerdotes namque iudicio primæ significationis debent crimina iudicare seu discernere, quibus secundum legem Evangelicam debet quis à fidelium prædici consortio, ne alios inficiat, quemadmodum medicus aut medicorum Collegium, iudicio primæ significationis, iudicare habent de morbo corporali, propter quem debet quis, ne alios inficiat, ut leprosus ab aliorum consortio separari. Et rursum debet esse crimen huiusmodi, quod certo testimonio probari possit per aliquem fore commissum. Et propterea, sicut non ad medicum quenquam, aut ipsorum tantummodo collegium, iudicium seu iudicem, cuius est coactiva potestas expellendi leprosos, statuere pertinet, sed ad civium fidelium universitatem aut ipsorum partem valentiorum: Sic quoque propter animæ morbum, ut crimen notorium expellendorum à communi consortio, iudicium aut iudicem, cuius sit horum coactiva potestas, ad nullum Sacerdotem solam, aut ipsorum tantummodo Collegium statuere pertinet in communitate fidelium, quanquam ex ipsorum consilio debeat tale iudicium procedere, --- secundum tamen probationes inductas, & si per testes convictus fuerit, & tale fuerit crimen, propter quod debeat excommunicari, in quo solo stari debet iudicio Collegii Sacerdotum, aut sanioris partis illius, tunc per supra dictum iudicem à fidelium universitate illius loci statutum ad hoc, debet sic criminosis excommunicandus per sententiam nunciari. Et fieri debet executio talis sententiæ voce Sacerdotis &c.

XXI. Transit tamen successu temporis exercitium huius potestatis, uti alia ferè omnia negotia Ecclesiastica, ad Episcopum, si ve quod negligentior esset Ecclesia reliqua in hoc iure suo tuendo, si ve quod Episcopi quibuscunque artibus id sibi proprium facerent, & valentiores essent, quam ut cuiquam resistere ipsis liceret. Sæpè tamen presbyteri adhuc eo iure uti sunt, ita ut Canonistæ, qui potestatem illam soli Episcopo competere malent, coacti sint distinguere inter excommunicationem, quæ fit cum solennitate, & quæ sine eâ, illam Episcopo soli, hanc reliquis etiam prælatis vindicantes. Panormitan. in 2. not. ad c. cum in Ecclesiis x. de major. & obed. Communiter verò solent iidem potestatem hanc tribuere Clericis illis, qui jurisdictionem habent, quandoquidem eam non ad ordinem referri debere dicunt, sed ad jurisdictionem. Goffred. de Trano ad tit. de sentent. excommunic. num. 8. Sed quæso ego, qualem Apostolos dicamus habuisse jurisdictionem, cum excommunicarunt nefarios & flagitiosos? Omni sanè jurisdictione & potestate externâ *ἀναγκαστικῆ* tum temporis caruit Ecclesia: & excommunicatio tota erat poena spiritualis ad finem spirituales obtinendum directæ, & ex potestate clavium proveniens. Quanquam enim



jurisdictionis aliquam haberet speciem & cum illâ quodammodo conveniret, vi tamen cogendi & coercendi erat destituta, ita ut nisi sponte sententia excommunicationis paruiisset excommunicatus, nihil haberet Ecclesia amplius, quo eum cogeret. Si qua igitur coactione & vi externâ excommunicatus ad obsequium compulsus fuit, id aliunde & ex potestate seculari ortum habuit. Atque hinc non malè distinxit Johannes Seldenus de *Synedr. l. 1. cap. 9. in fin.* inter statûs, qualiter se habuerint olim sive Judæi, sive Christiani, de utrisque enim idem fert judicium, ita, ut si ex permissione Imperatorum Gentilium imperio aliquo & regimine proprio gauderent, jurisdictionis aliqua portio ad excommunicationem sustinendam traheretur; sin minus, ex pacto tantum & reverentiâ quâdam excommunicatum paruisse ait, inobedientem autem citra violationem Legum de vi publicâ & privatâ, cogi non potuisse. Quâ ratione autem brachiumulare adversus excommunicatos potestati Ecclesiasticâ subvenerit, intelligi potest ex constitutione Lotarii, quæ extat in legibus Longobardorum *lib. 2. tit. 55. n. 1.*

XXII. Dum ita excommunicatio non substitit in terminis centuræ Ecclesiasticæ, sed in civilem quasi degeneravit pœnam, & Clerici sibi eam propriam fecerunt, quâ intemperantiùs eâ nonnunquam atque perverse & improbè ad honorum pestem utebantur, noluerunt Principes suo deesse officio; sed cum illi præcipuam quasi communionis Ecclesiasticæ partem constituerent, indignè tulerunt, Ecclesiæ reliquæ judicium competens eripsum fuisse. Suarum ergo partium esse duxerunt, ut fibulam lege publicâ injicerent huic Clericorum potestati, ne temerè atque inconsultè eâ uterentur, neve iniquâ excommunicationis sententiâ innocentes percellerent deinceps. Eam in rem prostat constitutio Justiniani, *novell. 123. c. 11.* *Omnibus autem Episcopis & presbyteris interdiximus segregare aliquem à sanctâ communionem, antequam causa monstratur, propter quam sanctæ regule hoc fieri jubent. Si quis autem præter hoc à sanctâ communionem quenquam segregaverit, ille quidem qui injustè à communionem segregatus est, solutus excommunicationem à majore Sacerdote, sanctam mereatur communionem; Qui verò aliquem à sanctâ communionem segregare præsumpserit, modis omnibus à Sacerdote, sub quo constitutus est, separabitur à communionem, quanto tempore ille perspexerit, ut quod injustè fecit, justè sustineat &c.* Repetièrunt eam Justiniani constitutionem circa annum Christi DCCCXXXVIII. Leo & Constantinus Impp. in *ἐκλογῇ τῶν νόμων ἐν σωτήριω*, quæ habetur in jure Græco-Rom. *part. 2. pag. 79. tit. 9. num. 5.* item Photius Patriarcha Constantinopolitanus in *nomocan. tit. 9. cap. 9.* & Michael Artaliata in *Synops. tit. 3.*

XXIII. Justiniani hanc constitutionem secuti in Occidente Karolus M. & Ludovicus Impp. edixerunt, ne excommunicationes passim & sine causâ fiant, *lib. 1. capitul. 142.* *Idem*, qualiter se gerere debeant excom-

muni-



municati, lege publicâ præscripserunt, lib. 5. cap. 42. & addunt tamen: *Quod si aliquis se reclamaverit, quod injustè sit excommunicatus, licentiam habeat ad metropolitanum Episcopum venire, ut ibidem secundum Canonicam institutionem judicetur, & interim suam excommunicationem custodiat.* Cum verò alibi sub Ludovici regimine defuisset ferè excommunicationis processus, ipsi agnovèrunt Episcopi congregati, ab Imperatore impetrandum esse, ut ille restitueretur. Sic enim legitur in *addit. 3. ad capitul. c. 23.* *Pœnitentiam agere juxta antiquam Canonum institutionem in plerisq; locis ab usu recessit: & neq; excommunicandi neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur. Ut à domno Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publicè peccat, publicâ multetur pœnitentiâ & secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur & reconcilietur.*

XXIV. Inter constitutiones Karoli Calvi, quas collegit Goldastus tom. 2. *Constitut. Imper. extant pag. 34.* ejusdem literæ ad Papam Johannem *de presbyteris delinquentibus, qualiter judicari debeant.* In illis de excommunicatione temerè haud raro suscepta cap. 26. hæc leguntur verba: *Suggerendum etiam vestræ summæ auctoritati necessarium credimus, ut de quorundam Episcoporum coercendâ inconsideratione alios decreto generali instruentes cautos efficiatis, ut quorum debent esse matura & perpensa judicia, non sint precipites in proferendis sententiis, nec facile ac indiscretè, neq; aliter, nisi juxta sanctarum Scripturarum tramitem traditionemq; majorum & pro evidentibus culpis quemcumq; à communionem corporis & sanguinis Domini DEI nostri Jesu Christi, in quibus post unicum baptismum præcipue humanæ salutis reconciliatio & summa consistit, pro suis injuriis vel animi sui motibus ac iracundiâ separent &c.* In fine adducit Carolus legem Justiniani supra ex *novellâ 123.* prolatam, ut Pontificem commonefaciat Imperatoriæ potestatis qualem ille, ut compesceret Episcoporum proterviam, antehac exseruerit, tacitè innuens, sibi eandem competere potestatem, si Pontifex officio suo defungi nolit. Videntur autem tum temporis, cum hæc scriberet Karolus, Episcopi parum memores fuisse decreti sui, quod jam ante in Concilio Meldensi & Parisiensi fecerant, quodque in Sparnaco Villâ Remensis Ecclesiæ cum primoribus suis approbaverat Karolus sub num. 7. Id enim tale erat: *Ut nemo Episcoporum quemlibet sine certâ & manifestâ peccati causâ communionem privet Ecclesiasticâ. Anathema autem sine consensu Archiepiscopi aut Coepiscoporum, prolata etiam Evangelicâ admonitione nulli imponat, nisi unde canonica docet auctoritas, quia anathema æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi.*

XXV. Circa idem tempus in Comitibus Confluentanis, quibus interfuerunt etiam Episcopi decem, recessus, uti vocatur, factus est inter Reges Francorum, Ludovicum II. Regem Germaniarum & Slavonarum, Carolum II.



lum II. Regem Galliarum, Ludovicum Imperatorem Romanorum & Regem Longobardorum, Lotharium Regem Lotharingæ, & Carolum Regem Burgundiæ atque Provinciæ. Recessus iste habetur apud Goldastum tom. 1. *Constit. Imperial. pag. 192.* atque in eo artic. 6. hunc in modum conventum fuit: *Ut nemo Episcoporum hominem peccantem ab Ecclesiâ Christianâ alienet, donec illum secundum Evangelicum præceptum, ut ad emendationem & pœnitentiam redeat, commonitum habeat. Qui peccans si commonitus inobediens & incorrigibilis permanserit, & ad emendationem redire noluerit, Regiam & Reip. potestatem per se ipsos & per ministros suos adeant, ut constringatur & ad emendationem & pœnitentiam peccator redeat. Qui etiam si ita ad correctionem perducere nequiverit, tunc secundum Leges Ecclesiasticas medicinali separatione communionis Ecclesiastica segregetur.*

XXVI. Neque aliter processum excommunicationis in Regno suo observari voluit Henricus II. Rex Anglorum, nisi ut prius in iudicio Regio constitueretur, utrum, qui de crimine accusatus esset, pœnam istam promeritus fuerit. Sic enim convocatis Episcopis & proceribus Regni in Comitibus Clarendonensibus constituit ille apud eundem Goldastum tom. 3. c. 7. *Nullus qui de Rege teneat in capite, nec aliquis dominicorum ministrorum ejus excommunicetur, nec terra alicujus illorum sub interdicto ponatur, nisi prius Dominus Rex, si in terrâ fuerit, conveniatur, vel justitia ejus, si extra Regnum fuerit, ubi rectum est, de ipso faciat: & ita id, quod pertineat ad Curiam Regiam, ibidem terminetur, & de eo, quod spectabit ad Ecclesiasticam, ad eandem mittatur, ut ibidem tractetur.* Consuetudines vocantur diu jam ante receptæ, quæ in Synodo illâ Clarendonensi renovatæ & confirmatæ fuerunt. Quas quidem à Guilielmo Normanno sive Conquæstore primùm in Angliam propagatas fuisse probabile est. In Normanniâ enim non licuit quenquam Officialem Regium sine Regis consensu excommunicatione percellere. Et obtinisset etiam in Angliâ tale decretum, nisi Thomas Cantuariensis Pontifex Romanum Alexandrum III. instigasset, ut illud ceu libertati Ecclesiæ adversum damnaret.

XXVII. Quæ omnia sufficienter ostendunt, ad Principis curam pertinere, ut ab Episcopis circa excommunicationes modus observetur, neve in quemcunque pœna ista tam gravis temerè decernatur. Quàm faciles enim fuerint non Episcopi tantum, sed ipsi etiam Pontifices Romani in execrationibus, publicis & dirarum obnunciationibus, omnis temporis historia loquitur. Et poterunt videri de ejusmodi corruptelis gravamina Principum Germaniæ, quæ adversus Sedem Romanam ac totum Ecclesiasticum ordinem in Comitibus Norimbergenfibus Oratori Pontificio fuerunt exhibita sub num. 34. 35. 36. Levisima sæpè excusâ, & cui tollendæ sufficere potuisset brachium seculare, pœna ejusmodi inflicta fuit, ideò tantum, quod brachio seculari & superioris potestatis exer-



exercitio uti nollent Episcopi. Servitia debebant nonnulli ex casamento, seu feudo, quod tenebant & recognoscebant ab Ecclesiâ Carnotensi. Illa verò quia præstare recusaverant, his eos denunciationibus atque minis insectabatur Episcopus Fulbertus *epist. 19.* Voco vos & admoneo, ex parte DEI & sancte Marie & nostra, ut infra proximum pascha veniatis ad nos, aut nostrum servitium facere, aut de vestris casamentis legitimam rationem reddere. Quod si non feceritis, excommunicabo vos, propter contumeliam vestram, & interdiciam, ut non audiatis divinum officium. Nec vivi recipiatis communionem, neq; mortui sepulturam. Quin etiam castellum Vidocinium & territorium ejus anathematizabo, ut in eis divinum officium non celebretur, neq; mortuus sepeliatur: postea verò ipsa Casamenta, que tenetis, aut uni aut pluribus dabo, ultra etiam vobiscum de illis non concordabo. Apud Petrum Blesensem *epist. 73.* indignatur Richardus Archiepiscopus Cantuariensis in Clericos occisores non animadverti severius cum in fures rei licet minimæ acerbior pœna constituta sit: Si capra, inquit, si ovicula furto sublata sit, vel occisa, in hujus rei autorem, si lateat, sententia excommunicationis emittitur; convictus verò aut confessus furcarum patibulo deputatur.

XXVIII. Quis verò non indignetur, propter capram, propter oviculam furto subreptam, propter servitia denegata tantam illicò intentari pœnam, dirisque deprecationibus ita defigi refractarios? Non arbitror, tam felicem eo tempore fuisse Galliam, ut nulli judici nec ordinario nec delegato excommunicationis aut interdicti sententiam proferre liceret in terram Regis absque speciali mandato Sedis Apostolicæ; quale privilegium deinceps à Pontifice Romano accepit, uti id aliud agendo commemorat Petrus de Marca *de concord. sac. & imp. lib. 4. cap. 10. n. 7.* Non certè tam audacter & apertè minas suas jactitasset Fulbertus. Et quis verò negaret, intercedere debere hoc casu auctoritatem Principum, ne inolentiùs suâ potestate abutantur Episcopi? Justè igitur animadversum fuit in Archiepiscopum Tholosanum, postquam is excommunicationis fulmina vibrasset in officiales Regios, quod illi Clericum carceri inclusum tradere nollent, ut Archiepiscopus retractaret omne, quod actum fuisset, excommunicatos absolveret, & tota acta prorsus perimeret & aboleret, uti refert Joh. Paponius *in arrest. Franc. lib. 1. tit. 4. n. 9.* ubi & alterius arresti mentionem facit promulgati adversus Episcopum Castrensem, qui, quod à Parlamento Tholosano ad collationem pro reparandâ Ecclesia condemnatus esset, ipsam totam Curiam excommunicaverat. Coactus igitur fuit ille excommunicationem suam revocare, indictâ simul mulcta duorum millium coronatorum ad Regis palatium instaurandum.

XXIX. His ita expositis, ordinis ratio postulat, ut videamus, qui excommunicari justè possint & debeant. Ubi quidem duo semper attendere oportet.

opor-



oportuit requisita. Primum, excommunicationis fulmine facinorosos tantum & incorrigibiles percelli debere. Secundum, debere eos esse & domicilium suum habere in parochiâ ejus, qui excommunicationem intemat. De primo plurimæ extant Patrum & Conciliorum sententiæ. Leonis I. Pontificis Romani hæc est in epist. 89. quam scripsit ad Episcopos provinciæ Viennensis: *Nulli Christianorum facile communicatio denegetur: nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invitus & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognovimus enim pro commissis & levibus verbis quosdam à gratiâ communionis exclusos, & animam, pro quâ Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sevi supplicii sauciatam & inermem quodammodo, exutamq; omni munimine, diabolicis incursionibus, ut facile caperetur, objectam. Certè, si quando causa talis emerferit, ut pro commissi criminis qualitate aliquem justè faciat communionem privari, is tantum pœnæ subdendus est, quem reatus involvit, nec particeps debet esse supplicii, qui consors non doretur fuisse commissi &c.*

XXX. Idem decrevit Concilium Aurelianense V. c. 2. *Ut nullus Sacerdotum quenkam recte fidei hominem pro parvis & levibus causis à communionem suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres ab Ecclesiâ arceri jussèrunt committentes. Idem etiam Meldense c. 56. cujus verba supra adduximus, & quia penetrantia sunt, nunc repetimus: Ut nemo Episcoporum quolibet sine certâ & manifestâ peccati causa communionem privet Ecclesiasticâ. Anathema autem sine consensu Archiepiscopi aut Coepiscoporum, prælatâ etiam Evangelicâ admonitione nulli imponat, nisi unde canonica docet auctoritas: quia anathema æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi. Rectè dicit, excommunicari debere tantum illum, qui in flagitio permanet, & aliter non potest corrigi. Cum enim omnium acerbissima hæc sit pœna, quâ scilicet à Christi fidelium consortio quis se jungitur, quâ DEI patrocinium, & pastoralis cura prorsus denegatur, quâ excommunicatus Satanæ potestati subicitur, ut ille tyrannidem suam in eum exerceat & ferocissimi Leonis instar miserandam ejus animam discerpatur & voretur, quis erit tam immanis & ab omni humanitate alienus, qui velit peccantem, de quo spes emendationis superest, in stygium carcerem conjicere, & æternis Satanæ suppliciis committere?*

XXXI. Quocirca recte monet Concilium Agathense c. 3. *ut Episcopi, si sacerdotali moderatione postpositâ innocentes, aut minimis causis culpabiles, excommunicare præsumpserint, & ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, à vicinis Episcopis cujuslibet provinciæ literis moneantur: & si parere noluerint, communicatio illis usq; ad tempus Synodi à reliquis Episcopis non negetur; ne fortasse ad excommunicatoris peccatum excommunicati longo tempore morte præveniantur. Legitur apud Gratianum c. Episcopi 11. q. 3. Hoc enim erat*

remc-



remedium, quo corrigi poterat, si circa excommunicationis processum affectibus indulgisset Episcopus. Idque jam ante ex præscripto Concilii Nicæni can. 5. invaluerat, quo statutum fuit, ut de iis qui à communione segregati sunt, sive Clericorum sive Laicorum sint ordinis, ab Episcopis, qui sunt in unaquaq; provinciâ, valeat sententia secundum canonem, qui pronunciat, eos qui ab aliis ejeti sunt, non ab aliis admittendos. Examinetur autem, numquid vel similitate vel contentione vel aliquâ ejusmodi Episcopi acerbitate, congregatione pulsi sint. Ut hoc ergo convenientem examinationem accipiat, rectè habere visum est, ut singulis annis in unaquaq; provinciâ bis in anno Synodi fiant, ut cum omnes provinciæ Episcopi in eundem locum communiter conveniant, ejusmodi questiones examinentur. Eoque pertinet simile decretum Concilii Sardicensis can. 14. Si inveniatur quis Episcopus ad iram propensus, quod quidem ab ejusmodi homine abesse debet, & adversus presbyterum vel diaconum citò commotus, eum ex Ecclesiâ ejicere voluerit, providendum est, ne is repente condemnetur, & communione privetur. Omnes Episcopi dixerunt: Qui ejicitur potestatem habeat confugiendi ad Episcopum metropolis ejusdem provinciæ; si autem Metropolitanus abest, ad finitimum concurrendi & rogandi, ut suum negotium accuratè examinet &c.

XXXII. Interim tamen, dum pendeat judicium, non debebat contemni aut insuper haberi excommunicatio, sive ab ipso excommunicato, sive ab aliis eidem communicare solitis. De excommunicato statutum fuit in Concilio Vernensi c. 9. his verbis: Quod si aliquis se reclamaverit, quod injustè sit excommunicatus, licentiam habeat ad Metropolitanum Episcopum venire, & ibidem secundum Canonicam institutionem dijudicetur, interim suam excommunicationem custodiat. De aliis verò ei communicantibus, in specie de Episcopis, Concilii Arausiaci l. c. 11. extat decretum: Placuit in reatum venire Episcopum, qui admonitus de excommunicatione cujuscunque, sine reconciliatione ejus, qui excommunicavit, ei communicare præsumserit, ut integra omnia, si reconciliatio intercesserit, de justitiâ vel de iniquitate excommunicationis, proxime Synodo referrentur. Itemque generalis Callisti Pontificis sententia apud Gratianum c. excommunicatos 11. q. 3. Excommunicatos quoscunque à Sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis examinationem justam, nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec ave eis dicat &c. Optimè Gregorius homil. 26. in Evang. Utrum justè an injustè obliget Pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest, & cum injustè forsitan ligatur, ipsam obligationis sue sententiam ex aliâ culpâ mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injustè, nec pastoris judicium temerè reprehendat: ne & si justè ligatus est ex ipsâ tumide reprehensionis superbia culpa, quæ non erat, fiat. Hæc verò omnia accipienda sunt de casu, quando de justitiâ ipsius causæ dubitatur, non verò quando defectus potestatis & autoritatis

Gggg

ritatis



ritatis in excommunicante certus est. Vid. Severin. Binius tom. 1. Concil. pag. 141. aut causâ notoriè injusta subest.

XXXIII. Solebant jam olim, qui in hæresin prolapsi erant, fulmèn hoc in orthodoxos evibrare, & mutata scenâ, quod veræ Ecclesiæ adversus contumaces hæreticos competebat, animadversionis genus sibi vindicare, sed quod propterea, quia falsæ causæ patrociniabatur, contemptui erat, & nihili omnino æstimabatur. Eleganter Photius Patriarcha Constantinopolitanus epist. 115. Erat olim terribile anathema & fugiendum, nempe cum à veritatis præconibus, contra reos & improbos ferebatur; ex quo verò audax & impudens Alastorum quorundam vesania contra leges omnes divinas, humanas, contra omnem rationem Græcam, barbaram, ipsorum anathema in propugnatores orthodoxæ pietatis jaciat insolenter, & furores barbaricos, ecclesiasticas transgressiones magnâ contentione habendas contendunt, è vestigio illud formidandum & omnium suppliciorum extremum, in fabulam & ludibrium evasit: potius Viri pii illud exoptaverint; non enim sententiæ per audacissimos veritatis hostes lata pœnas saltem Ecclesiasticas formidabiles facit, sed reatus eorum in quos intorquentur &c.

XXXIV. Ut maximè verò Episcopo aut presbytero, cui jus excommunicandi competit, de crimine à parochiano suo commissio constet, idque tam atrox sit, ut universas in se comprehendat culpas, & improbitates omnes superet, nisi tamen publicè cognitum id sit, non debet terribili hoc excommunicationis fulmine in istud animadvertere. Quid enim si ex privatâ delinquentis confessione id ei cognitum fuerit, omnibus aliis inscientibus? An putabimus, minùs rectam & parum excusatam esse prælati conscientiam, nisi diris omnibus & severissimâ execratione peccatorem devinciatur? Imò verò placet sententia Ivonis Carnotensis, qui epist. 186. Laurentio Monacho tale suggerit consilium: De his qui criminalia peccata occultè confitentur, nihil meliùs respondere possum, quàm quod B. Augustinus in quâdam epistolâ scribit: nos à communione nullum suspendimus, nisi accusatum publicè atq; convictum, vel sponte confessum similiter publicè. De manifestis autem manifesta sententia est: quia qui manifestè peccarunt, manifestè sunt arguendi, & publicâ pœnitentiâ sunt corrigendi. Dicendum est tamen eis non præcipiendo, sed consulendo, ut seipsos ab officiis Ecclesiasticis suspendant, vel à Sacramentorum communione abstineant: quia tali humilitate & pœnitentiâ veriùs agitur, & salus reparata tutiùs munitur. Modum hunc jam olim præscripserat Concilium Vafense l. c. 8. cujus verba compilationi suæ inferuit Gratianus c. si tantùm 6. q. 2. Sed & statuit insuper Concilium Carthaginense VII. c. 5. ut eo magis coërceret Episcopos, ne temerè procederent, ipsos tales Episcopos, qui sine causâ aliquem excommunicant, communione reliquorum Episcoporum exclusos esse debere. Verba in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ c. 132. & 133. ita habent: Item placuit, ut si quando Episcopus dicit aliquem sibi solâ



soli proprium crimen fuisse confessum, atq. ille neget & pœnitere noluerit, non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur, etsi scrupulo proprie conscientie se dicit neganti nolle communicare. Quamdiu excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis: ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quenquam, quod aliis documentis convincere non potest.

XXXV. De altero, quod scilicet Episcopus neque extra diœcesin suam quenquam, neque peregrinum aut extraneum aliquem diœcesi suæ non subjectum, ut maxime in diœcesi suâ repertus fuerit, excommunicare queat, nota est Callisti Pontificis apud Gratianum c. nullus 9. q. 2. sententia: Nullus alterius terminos usurpet: nec alterius parœcianum judicare vel ordinare aut excommunicare p̄sumat: quia talis judicatio vel ordinatio, aut excommunicatio vel damnatio nec rata erit, nec vires ullas habebit: quoniam nullius alterius judicis nisi sui sententia tenebitur aut damnabitur. Unde & Dominus in deuteronomio loquitur dicens: Non transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. Sed nec metropolitano quidem, quanquam is superior sit, & in sua provinciâ comprehensas diœceses sibi subjectas habeat, extra parochiam suam, cujusquam suffraganei parochianum excommunicare licet, nisi improvincialis ille Episcopus consentiat. Sic enim pergit Callistus: Nullus autem Primas vel Metropolitanus, diœcesani Ecclesiam vel parochiam, aut aliquem de ejus parochiâ p̄sumat excommunicare vel judicare, vel aliquid agere absq. ejus consilio vel judicio. -- -- Si quis metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam, sine consilio ac voluntate omnium comprovincialium Episcoporum, extra aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subiacebit: & quod egerit, irritum habeatur & vacuum. Eoque pertinent omnes illæ constitutiones, quæ Episcopo extra diœcesin suam nihil quicquam juris concedunt aut permittunt, inter quas eminent decretum Concilii Constantinopolitani, can. 2. Idcirco, quando in antiquis canonibus de excommunicatis fugiendis agitur, plerumque illi ita describuntur, ut intelligantur excommunicati à propriis Episcopis, ἡ δὲ τῆς ἰδίας Ἐπισκοπῆς ἀνεπιώνητος, uti videre licet Concil. Antiochen. can. 6. Nicen. c. 5. Sardicenf. c. 16. Capitular. Karoli M. lib. 1. c. 1.

XXXVI. Hinc verò rectè reprehendit Hincmarus Remensis Archiepiscopus Hincmarum Laudunensem cap. 3. quod aliorum Episcoporum parochianos propriâ autoritate excommunicaverit: Causâ, inquit, injuriarum tuarum, meos & aliorum primatum atque Episcoporum diversarum provinciarum parochianos, non confessos neque convictos de aliquo crimine in parochiâ tuâ vel alicubi admissis, sine meo vel eorum ad quorum curam pertinebant consensu, contra divinas & humanas leges anathematizare, & ab omni omnium Christianorum societate alienare p̄sumpsisti. Unde multos scandalizasti & maximum

Gggg 2

scanda-



scandalum non solum Ecclesie, sed & Regi ac Regno intulisti, cum Lex prohibeat, ut per alienam messem transiens falcem non mittas, sed manu spicas conteras & manduces &c. Ex quibus verbis simul colligo, licuisse excommunicare parochianum, si Episcopi, cujus ille parochianus erat, accessisset consensus. Tum enim ipse ejus Episcopus excommunicasse credebatur.

XXXVII. Regulariter igitur non excommunicatur, nisi subditus, isque ab illâ particulari Ecclesiâ, in quâ deliquit. Ex consequenti tamen fit, ut excommunicatus ab unâ Ecclesiâ à communione reliquarum omnium exclusus censeatur, uti postea dicam. Sed & fieri potest, ut, quemadmodum in seculari foro delinquens etiam illic loci, ubi deliquit, puniri potest, Dd. ad l. 1. C. ubi de criminib. ag. op. ita etiam excommunicetur in loco delicti, qui crimen aliquod atrox commiserit, ut maximè ille ex alienâ sit dicecisi. In quam sententiam ex Concilio apud Compendium Gratianus c. placuit 6. q. 3. hoc refert decretum: *Placuit pro communi utilitate, ut nullus Episcoporum graviter ferat, si ejus parochianum pro deprædationis causa alter Episcopus excommunicaverit.* Itemque aliud ibid. ex Concilio Meldensi: *De illis autem, qui in parochiam beneficium aut hereditatem habent, & alterius Episcopi parochiani sunt & de loco ad locum iter faciunt, & rapinam & deprædationes peragunt, placuit, ut excommunicentur, nec ante ex parochiâ exeant, quam que patrârunt dignè emendent &c.* Quemadmodum etiam jure civili latrones, ubicunque reperti fuerint, supplicio capitis affici possunt, l. 2. C. quand. lic. unicuiq. sine jud. se vind. Quâ ratione, si hæreticus aliquis extraneus miscuerit se gregi, poterit Episcopus gregi illi præpositus eum segregare, & communione suâ excludere, ad præservandas scilicet oves sibi commissas, & damnum inde resultans avertendum.

XXXVIII. Cæterum in Latinâ Ecclesiâ propter universalem Pontificis Romani episcopatum, quem credunt, etiam ille extra dicecesin suam excommunicandi facultatem habere censetur, qui à Pontifice delegatam sustinet potestatem. Ita namque Ivo Carnotensis Puteacensem dominam ejusque milites propter injurias Carnotensi Ecclesiæ illatas, ex potestate delegatâ excommunicavit. Et quanquam Aurelianensis Episcopus, in cujus dicecesi illa domicilium suum habebat, plenam in Capitulo Aurelianensi causæ cognitionem obtulisset, noluit tamen Ivo hoc admittere, sed in suâ Ecclesiâ, h. e. Carnotensi eam audiri voluit, additâ ratione, quod quæque negocia in locis, in quibus orta sunt, primùm sint discutienda. *epist. 75.* Quod omninò conveniens est axiomatici juris civilis, in l. 30. ff. de judic. Provocat autem Ivo ad potestatem sibi à Pontifice concessam, dum ait: *Cum illa potestas hoc concesserit, cujus est de omni personâ & de omni Ecclesiâ judicare. -- Quia & ego ad præsens non privabor apostolico munere, quod accepi.* Et *epist. seq. 76.* Apostolicâ autem autoritate à nobis eam esse excom-  
muni-



municatam, exemplar Apostolicarum literarum, quod vobis transmissi, declarabit.

XXXIX. Suprà dixi, propter delicta aliqua Clericos solà depositione aut remotione punitos fuisse, propter quæ Laici excommunicatione majore notari solebant. Id tamen perpetuum non fuisse, sed pro diversitate temporum variasse, veterum, quæ extant, docent monumenta. Adduxi canonem Apostolicum 25. in quo statutum fuit, *Episcopum aut presbyterum fornicationis convictum, deponi, non verò segregari debere.* At vero in Concilio Neo-Cæsariensi can. 1. placuit, *ut presbyter fornicationis convictus penitus extrudatur, & ad poenitentiam deducatur.* Rursus in Basilii ad Amphilochem canonibus n. 32. Clerici, qui ad mortem peccant, de gradu quidem defici jubentur, à Laicorum autem communione non arcentur. Aliquando severius in Clericos, quàm in Laicos animadversum fuisse colligitur ex Socratis *hist. lib. 7. c. 25.* ubi refertur colloquium Attici Episcopi Constantinopolitani, & Asclepiadis Novatianorum Episcopi. Dixerat Atticus: *Ego Novatum quidem laudo; Novatianos verò non probo.* Turbatus hoc dicto Asclepiades: *Quomodo, inquit, hoc dicis Episcope? Cui Atticus: Ego, inquit, illum laudo, quod cum iis, qui sacrificaverant, communicare noluerit, idem enim & ipse fecissem; Novatianos verò minimè probo, qui ob levia delicta Laicos à communione excludunt.* Ad hæc Asclepiades ita respondit: *Præter sacrificium idolorum sunt & alia multa peccata ad mortem, ut loquuntur Scripturæ, propter quæ vos quidem Clericos, nos verò etiam Laicos à communione removemus, soli DEO potestatem condonandi illis relinquentes.*

XL. Porro autem, si quis Laicus manûs violentas intulerit Clerico, illicò incidit ille, secundum Canonistarum sententiam, in excommunicationis cenfuram, adeò ut non possit à quoquam alio, præterquam à Romano Pontifice, absolvi. Id quod jure Ecclesiastico introductum, & ab Innocentio II. (cujus est decretum apud Gratianum *c. si quis 17. q. 4.*) primum constitutum rectè observat Didacus Covarruvias *pract. quest. c. 31. n. 4.* Et ex hoc principio noluit Ivo Carnotensis absolvere Raimbaldum militem à se excommunicatum, postquam is monachum & presbyterum Bonævallensis monasterii castrasset: Reservantes, inquit *epist. 135.* quam ad Paschalem Pontificem scripsit, *hanc indulgentiam Apostolica moderationi, ad Apostolorum eum limina direximus: quatenus & fatigatione itineris hujus peccatum suum diluat, & apud pietatis vestre viscera misericordiam, quam DEUS vobis inspiraverit, inveniat.* Sed etsi manûs quis violentas non injecerit, inferenti tamen vel autor, vel fautor, vel adjutor fuerit, aut factum ratum habuerit, pari poenâ illum plectendum Latinæ Ecclesiæ Rectores voluerunt, eos etiam delinquentibus favere interpretati, qui cum possunt, manifesto sceleri



desinunt obviare; uti jura noviora in hanc summam contrahit Joh. Paul. Lancellott. *instit. jur. Canon. l. 4. tit. 13. §. 4.*

XLI. Disputatur insuper à Gratiano *caus. 24. q. 2. an post mortem aliquis possit excommunicari?* Et rector quidem est sententia eorum, qui statuunt, defunctos nullam planè incurrere censuram, neque condemnari amplius posse. Mortuus enim non amplius est sub jurisdictione Ecclesiasticâ, quippe quæ solvere & ligare tantum potest in his terris; sed subest iudicio divino, quod illicò post obitum cujusque incipit. Nec verò sunt temerè damnandi, qui in peccato decedere videntur, cum quid in ultimo vitæ halitu atque agone divina gratia in iis operata sit, nobis constare nequeat. Et merito ambigo, utrum satis promptè defendi possit factum Cypriani & reliquorum Episcoporum comprovincialium, quod Geminium Victorem post obitum excommunicatum esse pronunciant, ideo, quia ille Fortunatum quendam presbyterum testamento filiorum suorum tutorem nominaverat. Quâ de re videri potest epistola ipsius Cypriani *ad Clerum & plebem Furnitanorum, tom. 1. Concil. pag. 189.* Caula sanè tanti momenti non fuit, ut tam severam animadversionem mereretur. Et debuit utique bona hæc intentio, quâ liberis prospicere voluit, ei non esse fraudi. Alioquin non nego, posse in exemplum & emendationem viventium decerni aliquid in defunctum, non quidem, ut pro excommunicato habeatur, sed ut minoribus cum ceremoniis, aut etiam pro re natâ omninò nullis sepeliatur; imò verò potest quandoque cadaver prorsus insepultum relinqui, quod tamen non impedit, quo minus defunctus beatam deinceps in regno gloriæ agat vitam, & communionem sanctorum gaudeat.

XLII. Quandoquidem autem excommunicationis finis proximus & immediatus hic est, ut, qui ita punitur, à communionem fidelium excludatur; facile hinc patet, non posse eam exerceri nisi in personam certam & determinatam. Quemadmodum enim in foro seculari sententia à iudice certa pronuntiari debet, & sententia, quæ certam quantitatem non habet, omninò nulla est, nec vires rei judicatæ acquirere potest, *l. pen. §. ult. C. de sentent. quæ sine cert. quant.* ita etiam intentio excommunicantis tum & ipsa excommunicatio, si quid operari debet, in certam personam dirigenda est. Forum enim Ecclesiæ externum, in quo sententia excommunicationis fertur, instrui nequit, nisi adversus talem delinquentem, qui Ecclesiæ apertè notus est. Ut maximè in conscientia suâ sentiat delinquens, subjacere se pœnæ canonis, eamque se commiseruisse, ligamen tamen istud conscientiæ solùm respicit tribunal divinum & forum animæ internum, nullatenus forum & tribunal Ecclesiasticum, quamdiu delinquens Ecclesiæ fuerit ignotus. Et verò quomodo Ecclesia in talem suam exequetur sententiam? quomodo eum evitabit? quomodo eum  
expel-



expellet? quomodo à conventibus sacris excludet? quomodo fidelium consortio privabit? de quo, quis fuerit, nihil omninò constat. Atque ex his principiis rectè everit vulgarem Canonistarum distinctionem Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 5. cap. 9. n. 22.* quando illi excommunicationem aliam faciunt & dicunt esse Canonis, aliam iudicis. Semper enim in excommunicatione requiritur sententia, quæ, quod à canone pronuntiatur legaliter, & in genere, pronunciet de Titio individualiter & applicativè. Quâ eadem ratione pœna legis civilis in foro seculari applicatur delinquenti, ut maximè is propter flagitium commissum pœnam promeruisse dicatur, antequam lata fuerit sententia.

XLIII. Illud verò sive in vanitatem abit, sive in superstitionem & impietatem, quod ab Heduis suis observatum aliquando refert Bartholomæus Chasseneus *consil. 1.* Illi enim, si quando locustas & alia perniciofa animalia è campis expellere volebant, aliquem adiutorem in iudicem eligebant, coram quo duo procuratores constituebantur, ex populi parte unus, ex brutorum animalium alter. Populi procurator contra locustas vel similia animantia iustitiam pecebat, ad ea exigenda; cui ex adverso respondebat alter, non esse abigenda: tandem servatis servandis, nisi intra certum tempus abirent, contra locustas excommunicationis sententia ferebatur. Qui sanè processus tam absurdus est, ut mirer observatum eum aliquando fuisse apud populum tam prudentem. Creaturæ irrationales neque excommunicari, neque ulla aliâ propriâ censurâ notari possunt, quia neque peccati, neque emendationis, ad quam censura dirigitur, capaces sunt: & neque lis quidem cum illis agitari potest. Ridiculæ meritò & supersticiosæ habentur à Viris cordatis tales in aves & bestiolas frugiperdas sententiæ, ut perstringere eas ulteriori discursu supervacaneum sit.

XLIV. Pergimus ad modum procedendi. Qui quidem, qualis à Christo præscriptus est *Matth. XVIII, 15.* ad privata & occulta pertinet delicta. Aliter se res habet cum peccatis publicè commissis & vel omnibus, vel quamplurimis Ecclesiæ membris cognitis. Tùm enim facilior est locus publicæ censuræ, & tales delinquentes publicè in conspectu omnium arguendi sunt, *1. Tim. V, 20.* In quem locum optimè commendatur Thomas Aquinas: *Distingue tempora & peccatum, quia aliud est occultum, aliud publicum. Sed primum indiget occulto remedio, id est, occultè est arguendum, & de hoc loquitur Dominus; Sed Apostolus loquitur de peccato publico, quod publicè pœnitentiâ indiget.* Quò & faciunt verba Augustini apud Gratianum *c. si peccaverit 2. q. 1.* Nec tùm tamen illicò ad sententiam excommunicationis properandum est, nisi qui ita publicè deliquit, in peccato suo contumax & incorrigibilis existat. *Argue,* inquit Apostolus, *ἐλεγξε,* h. e. increpa, objurga, reprehende, cum vehementiâ quâdam corripe, ut & reliqui



qui metuant. Quæ objurgatio & correptio non infert illico exclusionem ex cœtu fidelium, quanquam eò quoq; procehi & extendi possit, si delinquens respiscere & ad frugem redire nolit.

XLV. Requiritur igitur etiam in publicis criminibus, & de quibus fama omnium sermone percubuit, prævia & exacta causæ cognitio. Eleganter Augustinus lib. de pœnitentiâ, quem refert Hincmarus Archiepiscopus Remensis ad Episcopos & proceres suæ provinciæ n. 27. Nos, inquit, à communionem quæquam prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive seculari sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi utrumq; audeat assumere, ut cuiquam ipse sit accusator & iudex? Adductis deinde verbis Apostoli 1. Cor. V, 9. seq. sic ait porrò: Quibus verbis satis ostendit, non temere & quomodo libet, sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communionem: ut si per iudicium auferri non possunt, tolerantur potius, ne per versè malos quisq; evitando ab Ecclesiâ ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam &c. Idem Hincmarus in opusculo adversus Hincmarum Laudunensem cap. 28. addit casum contumaciæ his verbis: Sacricanones neminem ab officio removeri permittunt, nisi aut sponte confessum, aut regulariter convictum, aut eum, qui regulariter vocatus ad reddendæ rationis iudicium venire noluerit &c.

XLVI. Providentissimè rationes suas in tali negotio constituit Ivo Carnotensis, uti patet ex ejus epistol. 168. 169. & 170. Rotrocius Perticentis Comes munitionem fecerat in fundo quodam contradicentibus Vice-Comite Carnotensi & Ivone Curvæ villæ Domino. Vice-Comes, qui tum Hugo Puteacensis erat, à Papa delegatos acceperat iudices, Senonensem Archiepiscopum, ipsum Ivonem Carnotensem, itemque Parisiensem & Aurelianensem Episcopos. Accusatores Rotroci excommunicari debere Rotroci contendebant, in quo sibi consentientes habuisse videntur nonnullos ex iudicibus delegatis, ideò præcipuè, quod in literis Apostolicis talis sententia decreta jam esset. Sed Ivo adduci non poterat, ut id fieret, sine præviâ causæ cognitione. Idcirco ad Senonensem Archiepiscopum epist. 168. postquam ab eo de ratione procedendi informationem petisset, literas hunc in modum concludit: Et si ad præsens non eluxerit vobis certa sententia, his qui in literis nominati sunt locum & diem competentem constituite & accusatores & accusatum ad eundem locum invitate, ut præsentialiter audita & cognita veritate plenius possitis iustitiæ satisfacere.

XLVII. Ad Parisiensem verò Episcopum in eadem causâ epist. 169. scripsit his verbis: Acceptis literis istis (scil. Pontificis) importunè exigunt à me Guido fraternarum rerum custos & dominus Curvæ villæ, quatenus prædictum Rotroci sine audientia sine iudicio excommunicem: cum ipse Rotrocius paratum se dicat, ut ad audientiam domni Metropolitanæ, vel nostram, vel comprovincia-

lium



lium Episcoporum congruo tempore & loco veniat, & secundum justum iudicium de objectis satisfaciatur. Ego itaque servato legum tramite nolo quinquam more sicariorum sine audientia punire: nolo Satana tradere, donec vel audientiam subterfugiat vel iudicium contumaciter respuat. Consulatur super hoc Evangelium, consulantur leges divinae & humanae, si de re in contentione positâ aliter aliqua lex fieri iusserit: postposita meâ sententiâ libenter cedam alienæ. Nec aliter puto dominum Papam intellexisse, ubi præcepit nos pro debito officii nostri prædictis petitoribus iustitiam facere. Hoc tonitruo circumstrepente, quamvis non essem dubius de veritate, scripsi tamen Metropolitanò, ad quem jam literæ Apostolicae venerant, ut diligenter inspectis literis Apostolicis, & intellecta rerum gestarum veritate, quam ei conscripseram, consilium mihi daret, utrum prædictum Rotrocom deberem sine audientia excommunicare an ad iudicium vocare. Ipse verò nescio quo instinctu, quo intellectu rescripsit mihi, ut literis Apostolicis obedirem, & Rotrocom excommunicarem. Nec tamen determinavit juxta inquisitionem meam, utrum hoc facere deberem cum audientia &c.

XLVIII. Mens & sententiâ Metropolitanî sine dubio fuit, debere Rotrocom sine ulteriori causæ cognitione excommunicari, & hæc ratione literis Apostolicis, quas vocat, satisfieri. Ivo autem dissimulavit hoc, & sibi ad interrogationem suam responsum non fuisse causatur. Quâ quidem in re modestia ejus laudanda est, qui servatâ autoritate superioris sui aliorum inflectit ejus responsum. Et cur verò aliâs excusasset se Ivo episc. seq. 170. nisi de hæc Metropolitanî sui sententiâ certus fuisset. De cetero, inquit, si relatam fuerit ad vos, nos Rotrocom nondum excommunicasse, sciatis, nos non inobedienter fecisse, sed rationabili & legitimâ causâ distulisse, quia pendente negotio quamlibet humilem personam lege prohibente excommunicare non audeo; nec Apostolicus, cum ad hanc excommunicationem nobis presentibus multis persuasionibus urgeretur, aliter fieri voluit: qui literis suis nos, qui vicini eramus, admonuit, ut rei veritatem investigarem, & cognitâ veritate non sententiam præcipitarem, sed sicut debet officium nostrum servato legum tramite rebellium inobedientiam ulcisceremur &c.

XLIX. Non debuit ergo excommunicari quis, nisi confessus aut convictus. In contumaces verò similem sententiam pronuntiari potuisse, ex Hincmari & Ivonis locis adductis jam constat. Sed eâ in re multo superiores mihi videntur in suis iudiciis Episcopi, quam in foro seculari Principes & Jcti. Theodosius Imp. l. 9. C. Theod. de fid. test. noluit absentem illicò damnari, nisi simul ab accusatore legitimis probationibus convincatur. Contumax enim absens non quasi plenè convictus habendus est, ut non præterea legitimè rem probari & reum peragi oporteat. Præsumptio est, & jura omnia clamant contra contumacem; ex eâ tamen causâ condemnari illicò non debet, aut si condemnatur, mitior tamen pœna tunc

Hhhh

locum



locum habet. Ulpiani in l. 5. ff. de pæn. sententia est, in absentes (contumaces) pecuniarias quidem pœnas, vel eas, quæ existimationem contingunt, si sepius admoniti per contumaciam desint, statui posse, & usque ad relegationem procedi; verum si quid gravius irrogandum fuisset, puta in metallum, vel capitæ pœnam, non esse absentibus irrogandam. Sed relegatio, quæ summa contumacium est pœna, multo mitior & benignior est excommunicatione. Relegatus enim bona sua non amittit, l. 1. ff. de interdict. & releg. quomodo feuda Ecclesiastica amittit excommunicatus c. 53. in f. de sentent. excom. Sic & relegatus civitatem Romanam retinet, l. 7. §. 3. ff. eod. Excommunicatus autem civitatem Ecclesiasticam non retinet, sed communione tali prorsus excluditur. Relegatis restitutione in integrum succurritur, l. 26. §. 1. ff. ex quib. caus. maj. sed excommunicati talem restitutionem vix impetrabunt. Et ex Fulberti Carnotensis epist. 60. constat, denegatam eam, licet pro excommunicato intercessisset Leuthericus Archiepiscopus Senonensis. De Guidone, inquit, excommunicato nostro nos appellas, reverende Pater, dicens, quod Episcopali se velit examinari iudicio, & Ecclesiasticâ satisfactione purgari. At nos precem tuam, seu verba minimè parvipendentes tibi respondemus, nos ejus libenter misereri velle, sed examinationem ejus ultra non curare. Apud nos enim jam de ipso, sicut de manifesto reo optimè factum est Episcopale, b. e. Canonicum ac decretale iudicium, dum illum secundum auctoritatem Canonum, ac decreta sanctorum Patrum excommunicavimus. Dicimus autem illum manifestè reum propter rationes subscriptas. -- His itaq; modis nobis apertè reus comprobatur: unde vocatus & per sex menses expectatus, dum confessionis ac pœnitentiæ remedia à nobis querere distulit, jure meritam excommunicationis sententiam pertulit. -- Cum ille, inquam, propter has causas indubitabili crimine teneatur obnoxius, quis curet examinationem ejus? an quia manifesta culpa examinari egeat, an fortè crederetur examinatus, si culpam se non habere pejerando culpam accumularet &c. Nullus in iudiciis secularibus tantus adhibetur rigor, cum etiam in delictis notoriis reo concedendam defensionem statuatur post alios Julius Clarus q. 9. n. 7. itemque Bened. Carpovius, audiendum esse reum, etiam si iudici videatur, justam defensionis causam nullam subesse, in prax. crim. q. 115. n. 4.

L. Ut verò quis contumax sit, & dicatur, atque excommunicationis sententiâ feriri possit, requiritur secundum c. 48. de sentent. excomm. ut præcedat trina monitio justis intervallis facta. Quæ quidem trina monitio videtur primùm ad normam processûs à Salvatore Christo Matth. XVIII. præscripti recepta; sed Doctores eam communiter de citationibus judicialibus interpretantur, præeunte ita Gratiano post c. de illicita 24. q. 3. eum hac tamen limitatione, ut non sufficiat, nisi certo casu, eam citationem ad domum fieri, sed debere esse personalem. Didac. Covarruv. ad

c. alma



c. alma mater, de excomm. in 6. part. 1. §. 9. n. 4. Et hanc citandi rationem ex jure civili & foro seculari petitam esse non dissimulat Gratianus d. l. Nec improbari ea potest, dummodo & aliàs, quæ de absentibus condemnandis bene constituta sunt, observarent Episcopi, nec tam præcipites ferrentur in exercitium suæ potestatis. Sed nec volunt trinam istam admonitionem præmitti, si crimen fuerit notorium. Quæ quidem doctrina multis corruptelis obnoxia est, nec dubito, intemperantius eâ sæpè uti Episcopos, cum pro notorio venditant, quod nihil tale est. Rectè enim observat Antonius Matthæus tit. de probat. c. 1. n. 2. aut nullum esse crimen verè notorium, aut, si quod est, non aliud esse, nisi quod palàm & inspectante populo vel in conspectu judicis & circumstantis coronæ perpetratum est; nec sufficere eo modo perpetratum esse, nisi & eodem loco, quo perpetratum est, accusetur, & recens sit ejus memoria.

LI. De ceremoniis usurpari solitis & excommunicationem solenniorem magisque in oculos incurrentem facientibus non est, ut multum solliciti simus, cum præsertim eæ pro lubitu recipi & variare in diversis mundi partibus possint. Gratianus c. debent 11. q. 3. talem præscribit modum: *Debent duodecim sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentis in manibus tenere, quas in conclusionem anathematis vel excommunicationis projicere debent in terram, & conculcare pedibus &c.* His ceremoniis in Concilio Lemovicensi dicta est sententia in milites, qui in Jordanum Lemovicensem Episcopum deliquerant. Sic enim legitur tom. 2. Concil. pag. 1091. Ex auctoritate DEI Patris omnipotentis & Filii & Spiritus S. -- -- nos Episcopi in nomine DEI specialiter congregati Anno Archiepiscopus Bituricensis, Jordanus Antistes Lemovicensis &c. excommunicamus illos milites de isto Episcopatu Lemovicensi, qui pacem & justitiam Episcopo suo firmare, sicut ipse exigit, nolunt aut noluerunt. *Maledicti ipsi & adjutores eorum in malum, maledicta arma eorum, & caballi eorum: erunt cum Cain fraticida & cum Juda traditore, & cum Dathan & Abiron, qui vivi introierunt in infernum. Et sicut hæ lucerne extinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguatur in conspectu sanctorum angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem & emendationem, sive pœnitentiam dignam venerint in judicium Episcopi sui. Omnes Episcopi & presbyteri candelas ardentis in manibus tenentes, mox eas in terram projicientes extinxerunt. Ad quod verbum cor populi valdè expavit, & omnes clamaverunt dicentes: Sic extinguat DEUS letitiam eorum, qui pacem & justitiam suscipere nolunt. Sic & in violatores libertatum Ecclesiæ sententiam excommunicationis per Episcopos Angliæ promulgatam ipso Rege Henrico III. candelam tenente & extinguente, refert Matthæus Paris ad ann. MCCXL.*

LII. Aliquando in ipso actu excommunicationis Psalmus CVIII. recitabatur, ut succumberet excommunicatus maledictionibus in eo conten-



tis. In Concilio Turonensi II. c. 24. agitur de his, qui per discordias Regum res Ecclesiarum aut Sacerdotum invadunt, & in illos, si pertinaces fuerint, talis decernitur pœna: *convenit, ut omnes omninò unâ conniventia simul cum nostris Abbatibus ac presbyteris vel Clero, qui stipendiis ex ipso alimento pascuntur, quia arma nobis non sunt alia, auxiliante Christo, circumsepto clericali choro, necatori pauperum, qui res pervadit Ecclesie, Psalmus CVIII. dicatur, ut veniat super eum illa maledictio, quæ super Judam venit, qui dum loculos faceret, subtraheret pauperum alimenta, ut non solum excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur, & coelesti gladio feriatur &c.* Ita in Concilio Parisiensi cum Prætextatus Episcopus Rotomagensis crimen læsæ majestatis à se commissum confessus fuisset, petiit Rex Chilpericus, *ut aut tunica ejus scinderetur (quæ similiter videtur fuisse ceremonia tum temporis in tali actu usitata) aut centesimus octavus psalmus, qui maledictiones Ischarioticas continet, super caput ejus recitaretur, aut certe judicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret.*

LIII. Non his tamen aliisque talibus ceremoniis usi fuerunt prioris Ecclesie Antistites; sed simpliciore viâ incesserunt. Qui enim Nestorium condemnarunt in Concilio Ephesino, hunc in modum conceperunt sententiam: *Igitur Dominus noster Jesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sacram hanc Synodum eundem Nestorium, omni prorsus Episcopali dignitate privatum & ab universo nihilominus Sacerdotum consortio & cœtu alienum esse decernit.* Hanc sententiam cum universi subscriptione suâ confirmassent, postridiè Nestorio intimarunt, hoc addito epistolio: *Agnosce te propter impias conciones tuas, obstinatamq; adversus sacros canones contumaciam, contumacemq; obstinationem vigesimo secundo mensis Junii jam decurrentis juxta Ecclesiasticarum sanctionum decreta à sacrâ Synodo exautoratum, atque adeò ab omni Ecclesiastica dignitatis gradu amotum esse. Quæ omnia leguntur in actis Concilii Ephesini tom. 2. cap. 10. § 11.*

LIV. Ad eundem modum Felix III. Papa Romanus cum condemnasset Acacium Episcopum Constantinopolitanum, ei excommunicationis sententiam scripto conceptam misit. Hanc verò cum Acacius præsidio Imperatoris fultus acceptare nollet, ignotus quidam monachus Achimæntensis eam ad pallium Acacii, dum ad sacra peragenda procederet suspendit. Qualiter sententia ista concepta fuerit, colligi utcunque potest ex literis Felicis ad eundem Acacium, dum ita scribit: *Habe ergò cum his, quos libenter amplecteris portionem ex sententiâ presenti, quam per tuæ tibi direximus Ecclesie defensorem; sacerdotali honore & communione Catholicâ, nec non etiam à fidelium numero segregatus: Sublatum tibi nomen & munus ministerii sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus judicio & Apostolicâ auctoritate damnatus, nunquamq; anathematis vinculis exuendus.* Alias ejusmodi formulas vid. apud Hincmarum Remens. tom. 2. pag. 811. § 821.

LV. Qui



LV. Qui ita à communione fidelium separati fuerunt in unâ Ecclesiâ, illi ab omnibus aliis Ecclesiis segregati intelligebantur. Est enim Ecclesia Christi in toto terrarum Orbe diffusa unum aliquod Corpus mysticum, à cuius qualicumque parte si membrum aliquod abscissum est, non potest ita ab eâ avulsam intelligi, ut adhæreat, & agglutinatum maneat corpori reliquo. Digitus, qui è manu excisus est, à toto corpore avulsus est, neque pro parte ejus aut membro haberi amplius potest. Atque ideò prohibentur Episcopi, ne recipiant eos, qui ab aliis excommunicati sunt. Actum eâ de re jam tum in Concilio Nicæno c. 5. De his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex Laico ordine, ab Episcopis per unamquamq; provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi qui abijciuntur ab aliis, ab aliis non recipiantur. Itemque in Concilio Antiocheno c. 2. Ab aliâ Ecclesiâ non suscipiendum, qui in aliâ minimè congregabatur. *Μὴ σιωπῶμεν* & c. 6. Si quis à proprio Episcopo fuit excommunicatus, ne prius ab aliis suscipiatur, quàm suo reconcilietur Episcopo, vel synodo, quæ congregatur, accedens se defenderit & persuasâ synodo aliam sententiam retulerit. Et porrò in Concilio Sardicensi c. 16. Hoc quoq; omnibus placet, ut sive diaconus, sive presbyter, sive quis clericorum ab Episcopo suo communione fuerit privatus, & ad alterum perrexerit Episcopum, & scierit is, ad quem confugit, eum ab Episcopo suo fuisse abjectum, non oportet, ut ei communionem indulgeat: quod si fecerit, sciat se convocatis Episcopis causas esse dicturum. Atque idcirco justè petunt Patres Africani in epistolâ Synodicâ à Cœlestino Pontifice Romano, ut à se excommunicatos recipere ne velit amplius. Impendio deprecamur, ajunt, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velit is excipere, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum faciliè advertet venerabilitas tua &c. Legitur hæc epistola in calce Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ.

LVI. Imò verò non Episcopi tantum & reliqui ex clero, sed alii etiam cujuscunque conditionis Christiani vitare excommunicatos debuérunt, ut cogèrentur hâc ratione excommunicati de emendatione suâ & reconciliatione cum Ecclesiâ cogitare, & ut eo faciliùs eorum vinceretur pertinacia. Et certè tanta olim erat disciplinæ severitas, ut non ecclesiastica tantum communicatio illis denegaretur, sed etiam civilis, ita ut omnes eos aspernarentur, omnes abhorrerent, omnes eos ut putrida membra & ressecanda fugerent, cum iis rationem inire, aut rem ullam contrahere nefas esset, nemo eos salutatione, nemo fratris appellatione, nemo adspectu, nemo alloquio, nemo convivio eos dignos judicaret. Omnes eos execrabantur, malè precabantur omnes, & velut *κατὰματι* omnibus modis averfabantur, nec quisquam erat, qui *ἀποφεύδας* illos non extremè abominabatur. Hos tales excommunicationis effectus quasi in compendio describit Concilium



Vernense c. 9. Et ut sciatis, qualis sit modus istius excommunicationis: In Ecclesiam non debet intrare, nec cum ullo Christiano cibum vel potum sumere; nec ejus munera quisquam accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se jungere, nec salutare, antequam ab Episcopo suo fuerit reconciliatus.

LVII. Utque hæc disciplina eo sanctius custodiretur nec usu remissior fieret, quamplurimis Conciliorum decretis sancitum fuit, ut ipse etiam in excommunicationem incideret, qui excommunicato communicaret, & ut pari cum excommunicato sententiâ teneretur, ejusdemque poenæ ut criminis particeps fieret. Antiquissimus in hanc rem est canon secundus Concilii Antiocheni: *Si quis autem de Episcopis, aut presbyteris, vel diaconis seu quilibet ex clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste privetur communione.* Idem statuit Concilium Arausicanum l. c. 11. *Placuit in reatum venire Episcopum, qui admonitus de excommunicatione cujuscunq, sine reconciliatione ejus, qui excommunicavit, ei communicare præsumpsit.* Reatum istum ita explicat Concilium Arelatense II. c. 8. ut intelligatur ille contractus ex injuriâ commissâ in cœtum fidelium & fraternitatem Christianam: *Si quis, inquit, excommunicatum alterius, sive Clericum, sive secularem recipere post interdictum præsumpsit, noverit se reum fraternitatis factum causam in concilio redditurum.* Clarius adhuc reatum istum exponit Concilium Turonense II. c. 8. *Quicumque Episcopus illum, quem alter Episcopus excommunicatum habet, postquam fuerit de ipsius excommunicatione communitus, communicare præsumpsit, usque ad Synodum excommunicatus habeatur.*

LVIII. Et ne quis putet, Episcopis aut Clericis tantum poenam hanc decretam fuisse, si excommunicatis communicaverint, generale est statutum Concilii Bracarense l. c. 33. *Placuit, ut qui pro hæresi, aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus eis communicare præsumat, sicut & antiqua canonum continent statuta.* Quod si quis spernit, voluntarie se ipsum alienum à communione facit. Canonum antiquorum dum facit mentionem, Lectori in memoriam revocat Antiochenum quartum, qui ita concludit: *Sed & omnes ei communicantes ab Ecclesiâ abjiciantur: & maxime si postquam cognoverint sententiam adversus prædictos fuisse prolatam, eis communicare ausi fuerint.* Et hæc tales prohibitiones in tantam severitatem aliquando adaugebantur, ut nec colloquium quidem, neque convivium cum excommunicatis permitterent. Sic enim decrevit Concilium Antifiodorense c. 38. *Non licet cum excommunicato communicare, nec cum eo cibum sumere.* Etc. 39. *Si quis presbyter aut quilibet de clero, aut de populo excommunicatum absq, voluntate ipsius, qui eum excommunicavit sciens receperit, aut cum illo panem manducaverit, vel colloquium habere decreverit, simili sententiâ subjacebit.* Itemque Arelatense II. c. 49. *Secundum instituta Seniorum, si quis à communione fuerit auferente*



ritate sacerdotali suspensus, hunc non solum à Clericorum, sed etiam à totius populi colloquio atq. convivio placuit excludi, donec respiciens ad sanitatem redire festinet. Et Toletanum l. c. 15. Si quis Laicus abstinetur, ad hunc vel ad domum ejus vel clericorum vel religiosorum nullus accedat. Similiter & Clericus si abstinetur, à clericis devitetur. Si quis cum illo colloqui aut convivari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur.

LIX. Illud verò disciplinam Christianam excedere ferè, & rigorem omnem superare videtur, quod etiam orare cum excommunicatis prohibitum aliquando fuerit, & qui secus fecerit, ipse etiam pro excommunicato haberi debuerit. Apud Gratianum c. sicut apostoli, & tribus seqq. 11. q. 3. quatuor, eà de re recensentur testimonia, inter quæ eminet Concilii Carthaginienfis IV. canon. 73. Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato, sive clericus, sive laicus excommunicetur. Sive uti apud Gratianum legitur: si laicus est, excommunicetur: si clericus, deponatur. Apostolicum id esse statutum, dicit Pseudo Fabianus d. c. sicut Apostoli, ut Pseudo Apostolico canoni 10. aliqua comparatur authenticia: qui sic habet: Si quis cum excommunicato, licet in domo, preces conjunxerit, iste communionem privetur. Est tamen hæc sententia etiam in Concilio Antiocheno c. 2. confirmata: Non autem licet communicare excommunicatis, neq. cum his per domos ingredi, & cum eis orare, qui Ecclesia non participant in oratione, nec in alteram Ecclesiam recipi, qui ab aliâ excommunicantur. Quò & facit canon nonus Concilii Vernensis. Et certè potest oratio talis proficua & salutaris esse excommunicato, ut impetretur auxilium divinum, utque gratia conversionis ad frugem bonam revocet hominem perditum, utque is ipse reviviscat tandem, & ad sanitatem revertatur, qui proprius est finis excommunicationis factæ. Ex quo de ratione prohibitionis merito disquirat Martinus Azpilcueta Navarrus in manuali c. 27. n. 36. Nec satisfacit Severinus Binius ad d. c. 10. Apostolicum. Benignior olim & propensior in hos tales fuit martyrum pietas, de quibus hoc extat Dionysii Episcopi Alexandrini testimonium apud Eusebium l. 6. c. 42. Quosdam è fratribus lapsos & idolis sacrificasse convictos suscepèrunt & conversionem illorum ac pœnitentiam cernentes, cum judicassent, eam placere posse illi, qui peccatoris pœnitentiam mavult quàm mortem, eos admiserunt & collegèrunt, atque in cœtum suum recepèrunt; & in orationibus ac cibo cum iisdem communicarunt.

LX. Tantum cum sit communicantium cum excommunicatis periculum atque discrimen, ut & ipsi per communicationem istam in excommunicationem incidant, optimo consilio receptum in Ecclesiâ & constitutum fuit, ut excommunicatorum nomina publicè indicentur & proponantur non parochianis tantum, sed etiam vicinis Episcopis. Quâ de re agit Honorii Papæ decretum apud Gratianum d. l. can. seq. Curæ sit omnibus  
Epi-



Episcopis, excommunicatorum omnium nomina tam Episcopis vicinis quam suis paræcijs pariter indicare, eaq; in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ cunctis convenientibus inculcare: quatenus in utraq; diligentia excommunicatis ubiq; ecclesiasticus aditus excludatur: & excusationis causa omnibus auferatur. In hunc finem Alexander Alexandrinæ Episcopus, cum Arium ejusque sectatores excommunicasset, Episcopis vicinis singulorum nomina, tum & causam excommunicationis, & quæ eorum fuisset hæresis, longo ordine recensuit, apud Socratem lib. 1. c. 6. Istæ literæ his finiuntur verbis: *Jure merito nos, qui impietatem illorum coram audivimus, ejusmodi homines, sicut predictum est, anathemate perculimus, eosq; ab Ecclesiâ ac fide Catholicâ alienos esse declaravimus. Idipsum autem vestræ pietati indicavimus, dilecti & charissimi Commistri, ut neq; eos, si forte ad vos etiam venire præsumperint, suscipiatis, neq; Eusebio vel alteri cuiquam, qui illorum causâ ad vos scripserit, fidem accommodetis &c.*

LXI. Videtur insuper Ivonis Carnotensis tempore receptum fuisse, ut qui in unâ diœcesi excommunicatus erat, ab reliquis etiam vicinis Episcopis, quibus notum id esse coeperat, similiter excommunicaretur. Sic enim scribit epist. 76. ad Daimbertum Senonensium Archiepiscopum: *ex auctoritate Apostolicâ à nobis excommunicatos precando insistimus, & insistendo precamur, ut vos quoq; excommunicetis, aut male invasa nobis restitui faciatis. Sic enim antiquitus est institutum & nuper in Arvernensi Concilio omnium Episcoporum, qui aderant, consensu confirmatum: ut ab uno Episcopo quemlibet pro injurijs Ecclesiasticis excommunicatum vicini quoq; Episcopi excommunicent &c. Et epist. 111. Postulamus, ut eum à nobis excommunicatum excommunicetis. Itemque in epist. 194. eum à nobis excommunicatum monemus & rogamus, ut pro excommunicato in Ecclesijs vestris teneri faciatis. Et epist. 204. orat Paschalem Pontificem, ut Episcopos sibi vicinos ad similem excommunicationem peragendam adigere velit: Unde, inquit, flexis genibus cordis paternitati vestræ supplico, ut sententiam anathematis justè in eum factam Apostolicâ auctoritatis confirmetis, & Archiepiscopo Senonensi, Episcopo Aurelianensi, Episcopo etiam Parisiensi, ut idem anathema in eum faciant, vestrâ auctoritate Apostolicâ injungatis.*

LXII. Quod si quis sciens excommunicatum in communionem recepisset, schismati inde causam dari putabant. Sic enim ipse interpretatur Pontifex Benedictus IX. cum ei exprobrasset Stephanus Avernenfis Episcopus, quod à se excommunicatum Pontium Comitem Arvernensem absolvisset, & communioni Ecclesiasticæ restituisset: *Quod nescienter egi, inquit, frater charissime, non mea, sed tua est culpa. -- -- Debueras certè mihi, antequam illa mortua ovis Romam veniret, ejus causam tuis innotescere apicibus, & eam ego omnimodè abjicerem, tuamq; firmando auctoritatem, eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe, omnibus consacerdotibus meis ubique*

terra-



terrarum adiutorem me & consulatorem potius esse, quam contradictorem. Absit enim schisma à me & à Coëpiscopis meis &c. Quæ epistola legitur in Concilio Lemovicensi, tom. 3. Concil. p. 1093. Utique enim in schisma degenerat, si quis à communione particularis & sic etiam universalis Ecclesiæ separatam alteri Ecclesiæ particulari inserere & implantare velit. Hæc namque ratione à fraternâ charitate, quâ invicem devinciuntur Ecclesiæ, disceditur, atque ea Ecclesia, quæ excommunicavit, contemptui quasi habetur. Idque proprium veluti *πάροισμα* est schismatis jam facti.

LXIII. Non ita evitari possunt, sed nec debent illi, qui nullâ certâ sententiâ condemnati, ex generali comminatione excommunicationem se meruisse sentiunt & agnoscunt. Uti enim supra dixi, excommunicatio canonis, quæ vulgò vocatur, operari nequit, nisi applicatio fiat ad certam & determinatam personam. Nisi ergo vel iudicio condemnatus & excommunicatione specialiter notatus quis fuerit, aut etiam ipsemet se, dum sibi canonem applicat, ab Ecclesiæ corpore separet, vix erit, ut ab Ecclesiasticâ communione excludi, & ex hoc vitari, atque conversatione Christianâ privari queat. Eleganter Ivo epist. 186. De *excommunicatis communi sententiâ, non tamen nominatis sive in Capitulo sive in Concilio facta sit illa excommunicatio, sive sint Simoniaci, sive presbyteri Uxorati, idem consilium est, quod est de aliis criminosis: quia non sunt à communione suspendendi, nisi publicè convicti vel publicè confessi; quia & Dominus Judam furem sciebat, & ita excommunicatum, ut etiam diabolus nominaret; tamen quia non fuit accusatus, donec seipsum Dominum prodendo manifestavit, minimè eum abiecit.*

LXIV. Quo in statu & quâ conditione fuerint illi, quibus communio Ecclesiastica denegabatur, ex iis, quæ dicta jam sunt, intelligi potest. Quibus addi potest illud, quod in majorem rei fidem excommunicatorum nomina ex diptychis Ecclesiasticis, quibus inscripta erant, eraderentur. Mos enim ille apud summas sedes invaluerat, ut cæterorum Patriarcharum nomina tabulis ecclesiasticis, quas diptycha vocabant, inscripta, dum sacra peragebantur recitarentur ad testandam universalis Ecclesiæ communionem: à quâ si quis illorum excideret, nomen ejus è diptychis expungebatur, uti præter cætera docent acerrimæ de nomine Johannis Chryostomi restituendo & Acacii expungendo contentiones, adeò ut ipsi etiam Euphemio Episcopo Constantinopolitano cæteroqui orthodoxo, ideò, quod Acacii prædecessoris sui ab Ecclesiâ Romanâ damnati nomen è diptychis expungere noller, communio denegaretur. Idem etiam obtinuit in Ecclesiis Episcopalibus, ut piè defunctorum Episcoporum nomina publicè inter preces recitarentur, & ex diptycho legerentur. Sic enim diptychi vocabulum explicant Episcopi Ægyptiacæ dioceseos in epist. ad Anatolium Archiepiscopum Constantinopolitanum tom. 2. Concil. pag. 149. In diptycho piæ memo-



rie transitum ad cœlos habentium Episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum mysteriorum secundum sanctas regulas releguntur. Ibiq̄ graviter invehuntur in Timothei Æluri Alexandrinæ Ecclesiæ in vasoris facinus, quod in diptycho suum & Dioscori excommunicati nomen posuerit, & deleverit exinde Proterii Episcopi nomen.

LXV. Illud insuper observo, fratrum nomine nihilominus compellatos fuisse aliquando eos, quibus communio denegabatur. Ita namque Gelasius Papa fratrem vocat Euphemium seu Euphemianum Constantinopolitanum, in ipsâ illâ, quâ eum in communionem admittere se posse negat. *tom. 2. Concil. pag. 232.* Id verò factum fuit sine dubio exinde, quod orthodoxiam adhuc tenuerit, neque ab omni Ecclesiasticâ communionem eiectus fuerit Euphemius. Sic enim de eo scribit Nicephorus *lib. 16. c. 19.* *Papa scripta quidem illius recepit, & Euphemio veluti orthodoxo favit, sed illum in Episcopalem communionem non admittit, propterea, quod Acacii quoque & Flaviti nomen de sacro libro non deduxisset.* Et hoc est, quod supra dixi, uti communionem, ita etiam communionis denegationem non esse uniusmodi, sed differentes planè habere formas, & diversos planè effectûs. Quâ ratione apud Cononem Episcopum Prænestinum Apostolicæ sedis legatum pro Episcopo Bajocensi intercedit Ivo Carnotensis *epist. 273.* ne ab Ecclesiæ introitu ille prohibeatur prorsus propter excommunicationem Episcopis Normanniæ inflictam. *Unde, inquit, pro Bajocensi Episcopo iustis de causis nobis amiciissimo sollicitudini vestra supplicamus, quatenus excommunicationem in Episcopos Normanniæ intentatam ita in eo temperetis, pro amore DEI & nostro, & ceterorum pro eo supplicantium, ut si Episcopale officium ei concedere non potestis, saltem introitum Ecclesiæ ad tempus non negetis.* Aliàs non nego, fratris nomine compellatum aliquando fuisse eum, qui erat extra Ecclesiam Catholicam, quâ ratione B. Augustinus Donatistas fratres vocare confuevit. *Quotidiè, inquit in collat. 3. Carthaginiensic. 242.* etiam quibusdam non nobiscum in unâ Ecclesiâ, nec in iisdem Sacramentis constitutis dicimus Fratres. Et Amulo Archiepiscopus Lugdunensis *epist. 2. ad Gotheschalcum:* *Quod te fratrem nomino, quem fraternæ unitati contrarium non ignoro, eâ in quantum DEUS largitur, facio cbaritate, quam Scriptura nobis præcepit dicens: Dicitis bis, qui odérunt vos, fratres nostri estis.*

LXVI. Atque hunc in modum se habebat olim disciplina ecclesiastica, si quando quis vitiis ita infectus fuisset, ut propter contumaciam nulla amplius de eo spes emendationis superesset. Erant enim, qui fidem Christianam profitebantur olim, acerrimi morum censes, nec patiebantur inveniri in cœtu suo, qui opprobrio esse potuissent apud gentiles: *Ordinati sunt, inquit Origenes lib. 3. contra Celsum, aliquot, qui in mores ac vivendi rationem eorum, qui illuc adeunt, inquirant: ut iis, qui turpibus & indignis facinoribus*



ribus vitam commaculant, conventus sui aditum interdican: alios autem horum dissimiles toto corde admittant, & meliores quotidie efficiant. Adeoque rectè ait Tertullianus apolog. c. 46. Sed dicit aliquis, etiam de nostris excedere quosdam à regulâ discipline. Desinunt tùm Christiani haberi penes nos. Quid autem operetur censura talis ecclesiastica, & quâ conditione fruatur, qui ita in cœtu Christianorum esse desinunt, optimè idem exponit Tertullianus ibid. c. 39. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de DEI conspectu: summumq; futuri iudicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegatur. Et Cyprianus ad Pomponium: Spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesiâ ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus DEI una sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesiâ, possit. Atque ista facinorosi ab Ecclesiâ DEI ejectio, etiam post obitum excommunicati hoc operabatur, ut honestâ & Ecclesiasticâ sepulturâ planè indignus judicaretur, ideò quod quibus non communicamus vivis, nec defunctis communicare debeamus. c. 12. x. de sepultur.

LXVII. Et hæc poena salutaris admodum erat olim, maximeque conducebat disciplinæ conservandæ, quoad illa justitiæ & charitatis regulis continebatur, & ab invitis emendationis magis gratiâ, quàm vindictæ cupiditate decernebatur. Postquam autem versa fuissent omnia, & vel depravatè vel corruptè in iudiciis suis causas agitare cœpissent Episcopi, indeque corruptelæ omnis generis nascerentur, neque in salutem Ecclesiæ amplius adhiberentur istiusmodi stricturæ, sed totæ ex affectibus decernerentur, factum inde, ut ipsa aliquando contemptui esset, & sæpè ludibrio exponeretur excommunicatio, præsertim, si vel nulla vel futilis admodum præcessisset causa, aut in Reges & Principes fulmen istud excussum fuisset. Hoc enim erat *σφισμα* illud politicum Pontificum Romanorum, per quod statum & salutem Ecclesiæ prætendebant atque simulabant, ut suam, quam affectabant, tyrannidem stabilirent, spiritualem administrationem in omnibus, etiam merè civilibus, causis præferentes, ut temporalem sibi dignitatem atque honorem compararent. Sub specie igitur & potestate ligandi solvendique acerrimè Principes & Imperatores insectabantur, & spiritualem hanc censuram in pœnam civilem convertebant, non modo interdicens ipsi communionem fidelium, sed eos etiam omni potestate suâ & autoritate in subditos exuentes, eosque ut ab Ecclesiâ, ita & ab imperio removebant.

LXVIII. Hæc ergò suâ potestate cum ambitiosè nimis uterentur tùm Pontifices Romani, tùm ad eorum exemplum alii Episcopi, factum inde, ut vis atque acies gladii Ecclesiastici sensim hebesceret, atque sic retunderetur aliquando, ut excommunicatione apud plerosque principes nihil



contemptius existeret. Qui vitam Ludovici pii conscripsit, cap. 14. refert, quâ ratione filii ejus in patrem excitati fuerint, quodque tum Gregorius IV. Pontifex ad invitationem filiorum in Galliam iter instituerit. Sed cum suspicio esset venire Gregorium, ut tam Ludovicum, quam Episcopos ei faventes excommunicaret, nisi prompta ab eis præstaretur obedientia, hoc ait egisse Episcopos, ut, si eâ intentione veniret Gregorius, ipse vicissim ab eis excommunicatus abiret. Cum, inquit, rumor usquequaque diffusus sereret de cæteris, quod verum erat, de Papâ verò Romano, quod id eò adesset, ut tam Imperatorem quam Episcopos excommunicationis irretire vellet vinculis, si qui inobedientes essent suæ filiorumq; Imperatoris voluntati, parum quid surripuit Episcopis Imperatoris præsumptio audaciæ, asserentibus, nullo modo se velle ejus voluntati succumbere; sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, cum aliter se habeat antiquorum auctoritas canonum.

LXIX. Quid Patrum nostrorum memoriâ adversus Gregorii XIV. diplomata, Henricum Galliæ Regem excommunicationis fulmine percellentia, & ipsum Nuntium Apostolicum Marcellinum Landrianum, qui illa attulerat, à Camerâ Catalaunenfi, & parlamento Turonensi decretum fuerit, prolixè refert Jac. Augustus Thuanus sub ann. MDXCI. brevius Piascius in Chron. pag. 93. cujus hæc sunt verba: Excommunicatione magis irritati Galli, eam contempserunt. Parlamentum Turonense publico edito eam damnavit, irritamq; esse Immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ contrariam pronunciauit: ejus diplomata & exemplaria publicè ante suam Curiam per Carnificem lacerari & igne cremari fecit, ac eorum latorem Marsilium Landrianum Nuntium Apostolicum comprehendit & puniri jussit, nisi celerius ad tutiora secessisset. Ipsum quoq; Papam Gregorium XIV. juratum pacis Catholicæ & Regni Franciæ hostem declaravit. Archiepiscopis verò, Episcopis & Ecclesiarum Gallicarum Antistitibus mandavit, ut non curantis illam excommunicationem Regi obedirent, & editum hocce Parlamenti observarent, ac in suis Ecclesiis publicarent. Simile interdictum publicavit suprema Curia Catalauni Præses, damnando illam excommunicationem, & ejus exemplaria per Carnificem cremari præcipiendo.

LXX Obiter addo, inter exceptiones, quæ in foro seculari opponi solent, etiam referri, exceptionem excommunicationis, & sicubi ea opposita à parte non fuerit, supplere eam debere à judice quantumvis seculari, Carol. de Grassis de except. c. 4. Sed in Franciâ ex generali consuetudine in foro seculari eam non admitti, testis est Andreas Tiraquellus de retract. §. 1. gloss. 9. n. 282. addens: Potius se Canonistæ ruperint, quam ut id apud nos obtineat. Imò refert Antonius Mornacius ad l. 3. C. de apostat. raro ad ultimam perfectionem in Galliâ venire excommunicationis fulmen. Publicari quidem, inquit, monitiones in Lutetianis Ecclesiis, sed ut ad ritum veterem exequendi, fulminandive, quod vocant, anathematis iretur, de quo ritu agit canon, debet,



debet, 11. q. 3. nunquam haecenus visum est. Semel atq; iterum promulgat Curio inter missarum solemnias: in tertiâ vero promulgatione desinit. Inde fit, ut facinorosi, qui intra peccatus norunt, quod ita queritur, blandiri sibi soleant de perficiendi anathematis omisiâ nec usitata ferali specie.

LXXI. Plura, quæ in hanc rem ex antiquis & novis historiis produci possent, studiosè prætereo. Etsi enim propter corruptelas, quæ in utrâq; Republicâ, Ecclesiasticâ & civili, invaluerunt, solenne quasi hoc sît Pontificibus Romanis, ut in Reges sibi parum morigeros excommunicationis fulmen projiciant, & eum quidem in modum, ut regimen eorum prorsus expiret, & subditi ab obedientiæ vinculo liberi existant; vix tamen erit, ut excusari illa tanta audacia & affectata superioritas queat, tum, quod regia dignitas, in munere regio exercendo, nullius judicio obnoxia sit, sed soli divino numini succumbat, tum, quod ea, quæ sunt juris naturæ, haudquaquam tolli & everti possint per excommunicationem. Hæc enim pœna, quæ spiritualis & animæ propria est, non alia dissolvit vincula, quàm quæ per communionem Christianismi, baptismum nempe & Sacramentum cœnæ contracta sunt; ad alia, quæ ex jure naturali & gentium suam habent originem, sese non extendit. Uti igitur prohiberi non possunt conjuges, quo minùs reddant sibi invicem conjugale debitum, nec liberi, ne parentibus debita officia præstent, neque servi, ne dominis suis obediant: ita nec prohiberi possunt subditi, quo minùs Regibus & principibus suis pareant & obsequi præstent. Ut taceam, Ecclesiæ hoc munus haudquaquam esse, ut destruat politias, & rebelliones excitet; sed magis, ut doceat subditos sub imperio fideliter atque obedienter se gerere.

LXXII. Ex quo conficitur, in Reges & Principes non nisi minorem excommunicationem decerni posse, majorem autem locum invenire planè nullum, & nec vitari quidem posse vel Principes ipsos, vel qui cum illis faciunt, quandoquidem vix ullus Principum tam perditus est, qui non habeat aliquos amicos & clientes, quorum operâ sustinere auctoritatem suam utcunque possit. Quorum propterea congressum & conversationem evitare vix licet. Atque id sibi impossibile esse scribit Hincmarus Remensis in epist. ad Hadrianum Papam, quâ se excusat, quod Carolum Regem à Pontifice excommunicatum non aversetur. *Quomodo, inquit, ipsius Regis, in cujus regno parochia & provincia mea consistit, & eorum qui cum eo degunt, sine anime periculo & mihi commissæ Ecclesiæ detrimento, consortium vel præsentiam valeam devitare, non video. Et porro: nescio, quomodo ipsius Regis, vel inter quos habito, præsentiam & communionem vel consortium valeam devitare, cum Rex & cohæbitantes mecum unâ cum Rege non solum in parochiam, verùm & in civitatem meam sæpè conveniant. Et post pauca: Ecclesiam & plebem mihi commissam deserere, & aliorum ut mercenarius non valeo fugere, nec quò extra Regnum ejus*



fugiam, habeo: sed regio cultu eo recepto de Ecclesiasticis facultatibus, sicut precipit, & quamdiu precipit, illi & sibi obsequentibus servio &c. Eaque propter recte negarunt Jesuitæ in Gallia, excommunicari posse Regem, nisi, quod aliter se sensuros, si Romæ essent, credidissent ipsi, uti refert Gabr. Barthol. Gramondus lib. 15. hist. Gall. in fin.

LXXIII. Antequam finiamus, id unicum erit addendum, excommunicationis poenam hanc præcipue intentione infligi, ut emendetur reus, & resipiscat, suamque cum Ecclesiâ reconciliationem flagitet ipse. Quod si corrigi nolit, & in peccatis suis perseveret, judiciis secularibus committatur olim, & ad regia tribunalia ablegabatur. Decretum ita in Concilio Vernensi c. 9. Quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare minime potuerit, Regis judicio exilio condemnatur. Aliquando per brachiumulare cogebantur ad absolutionem petendam, sicubi tempus, quoad eam impetrandam præscriptum erat, elapsum fuisset. Uti eam in rem conceptum legitur Ludovici Regis edictum: Et si aliqui per annum contumaces extiterint, ex tunc compellantur redire ad Ecclesiasticam unitatem, ut quos à malo non retrahit timor DEI, saltem poena temporalis compellat. Unde precipimus, quod Ballivi nostri omnia bona talium excommunicatorum, mobilia & immobilia, post annum capiant, nec eis aliquo modo ea restituunt, donec prædicti absolvi fuerint, & Ecclesiæ satisfecerint.

## CAP. XII.

### De Jure & potestate imponendi poenitentiam.

#### I.

Poenitentia vocabulum hoc loco significat poenam, quæ pro expiandis criminibus & delictis publicis imponitur iis, qui de crimine publico convicti sunt. Hoc sensu constitutum fuit in Concilio Cabilonensi c. 8. De poenitentia verò peccatorum, quæ est medela animæ, utilem hominibus esse censemus: & ut poenitentibus à Sacerdotibus data confessione indicatur poenitentia, universitas Sacerdotum noscitur consentire. Et in Concilio Remensi II. c. 12. Omnibus his actis ventilata est ratio poenitentia, ut sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones recipere & poenitentiam secundum canonicam institutionem poenitentibus deberent indicare. Item in Concilio Parisiensi VI. c. 32. Quoniam multi Sacerdotum partim incuriâ, partim ignorantia modum poenitentia reatum suum confitentibus secus quam jura Canonica decernant, imponunt, &c. Sic & in Concilio Moguntino anno DCCCXLVII. c. 31. Modus tempus, poenitentia peccata sua confitentibus, aut per antiquorum

cân-